DE PALLADII RAPTU

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XIII M. MARTII A. MDCCCLXXXXI
PUBLICE DEFENDET
SCRIPTOR

FERNAND CHAVANNES
HELVETIUS.

ADVERSARII ERUNT:
A. D. COREY, DRD. PHIL.
A. HILLERT, STUD. PHIL.
F. OLIVIER, STUD. PHIL.

BEROLINI, 1891.
HEINRICH & KEMKE.

CAROLO ROBERT

De fabulis ad Palladium Trojanum spectantibus postquam O. Jahn a. 1858 egregie disseruit (Annali dell' Instituto 1858 p. 228 sqq.) nemo exstitit qui explicite ageret. Res igitur digna mihi visa est quae denuo universa tractaretur. Itaque omnia et artificum opera et scriptorum testimonia in unum colligi haud parvi momenti esse arbitratus sum, cum in re tam implicita et obscura altera alteris illustrentur.

Primum autem artis monumenta ad temporum ordinem enumeravi et enarravi. Deinde hoc fundamento nisus quae in litteris antiquioribus frustula de Palladii fabulis exstant mythographorumque aetatis infimae narrationes contuli atque varias mythi versiones restituere conatus sum. In tertia denique dissertationis parte quo modo natus sit et increverit mythus breviter exposui.

I.

Opera artificum.[1]

Monumentum antiquissimum quod ad Palladii Trojani raptum pertinet opus est artis ATHENIENSIS saeculi quinti ineuntis. Est autem

1. Patera Musei Petropolitani 830

Mon. d. Inst. VI. 22. W. Vorlegebl. A. 8.

quae inscriptionem habet *HIEPON EΠOIEΣEN.* Frons paterae sex figuris ornata est; — sed ut jam a dextra parte initium faciam, conspicitur hic vir barbatus brevi chitone chlamydeque indutus cui petasus a cervice pendet. Citato gradu sinistrorsum tendit ita ut laevo bracchio Minervae simulacrum portet quod pectori apprimit, dextra autem erecta gladium teneat quo hostem imminentem repulsat potius quam ipse aggreditur. Nomen ei ascriptum est *OΛYTTEYΣ.* Hujus humerum corripit sinistra vir et ipse barbatus, chlamyde tantum in humeris imposita indutus, qui altera manu magnum baculum adversus Vlixem vibrat. Nomen inscriptum habet *AKAMAΣ.* — Ejus a sinistra vir fugit territus, longo chitone et himatio vestitus; laeva demissa baculum tenet, dextram erigit. *ΦONIXΣ* ille est.

A laeva picturae parte, eodem fere habitu quam Vlixes, Diomedes irrumpit (*ΔIOMEΔEΣ*); item barbatus atque chitone

[1]) O. Jahn, Philologus I 47 sqq. Overbeck, Her. Galer. 578—607. Jahn, Annali 1858, 228 sqq. Klein, Arch. ep. Mitt. aus Oester. III 36—40. Luckenbach Fleckeis. Jb., Suppl. XI 624 sqq. Heydemann, Jahrb. des Inst. I 295 sqq. Furtwängler, Jahrb. III, IV. Robert, Sarkophagreliefs II 146, 150 sq

cincto et chlamyde vestitus petaso a cervice pendente. Laeva signum Minervae tenet, dextra demissa gladium nudum. Is certe furiose in obstantem irruere videtur, qui trepide dextrorsum fugit. *ΔΕΜΟΦΑΟΝ* ei inscriptum est. Vt frater Acamas nudus est praeter chlamydem. — Intervenit, cum dextram ad eos protendit, vir barbatus chitone et himatio indutus, quem regem esse baculo ornato satis demonstratur; adscriptum est nomen *ΑΛΑΜΕΣΜΟΝ*.

Si quaerimus quid agatur, primum apparet Diomedem et Vlixem ex expeditione quadam redire; — cumque expediti sint, non dubium est quin rem quandam furtivam egerint; Palladia ab eis rapta esse perspicuum est. — Ex eo quod ceteri Achivi inermes sunt patet rem in Graecorum castris agi. — Jahnius autem qui hujus vasis picturas a. 1858 edidit, aliter hanc tabulam explicari non posse putavit nisi ita ut Diomedes et Vlixes manus conserere velint, a ceteris vero distineantur. Quae explicatio quamquam a nullo in dubium vocata est, mihi quidem minime certa videtur. Dubitari sane non potest quin universam figurarum compositionem ad illum vasorum typum Hieron effinxerit quo duorum heroum contentio exprimi solet [1]); attamen apparet multa etiam ab eo commutata esse. — Etenim eum diversum argumentum exprimere voluisse, etsi figuras ut ita dicam typicas adhibuerit, eo jam probabile fit quod tam accurate figuras in duas partes sejunxerit, addito symmetriae causa etiam Phoenice quem nihil ad rem pertinuisse verisimillimum est. — Non unam igitur, sed duas potius rixas expressas esse credo ac tabulam ita interpretor: Diomedes et Vlixes cum Troja redeunt a Demophonte et Acamante nescio qua de causa cohibentur, qui aliquid acerrime, ut ne vim quidem spernant, flagitare videntur. Si conjectura uti licet, Palladia petunt. — Resistunt raptores, sed ita tamen ut Vlixes Acamantis impe-

[1]) Cf. vasculum, Duridis opus, quod Ajacis et Vlixis de Achillis armis contentionem depictam habet. W. Vorlegebl. VI 1. Robert, Bild und Lied. 215.

tum lenius repellere videatur, Diomedes autem tam furens in Demophontem irruat ut intervenire debeat Agamemnon.

Ad hanc scaenam etiam figuras virorum sedentium ac deliberantium quae in altero paterae latere conspiciuntur referendas esse non libens crediderim.

Palladia quae ab Vlixe Diomedeque portantur fere similia sunt. Caput galeatum, corpus tunica talari indutum est; humeris sinistroque bracchio protento aegis imposita est. Vna re tamen inter se differunt simulacra: alterum quod ab Vlixe fertur hastam manu erecta vibrat, alterum manu demissa. Fortasse alterutrum falsum esse his significari voluit pictor; quae Jahnii sententia (l. c. p. 258) si recte se habet, signum genuinum ab Vlixe portari necesse est, cum in omnibus ceteris imaginibus Palladium hastam manu erecta tenens effictum sit.

Illud denique velim respicias, scaenam qua media patera ornatur mythum proprie Atticum exhibere,[1]) unde verisimile fit hanc quoque picturam ad fabulas Atticas referendam esse.

Cum de monumento Atheniense egerim, liceat hic alterum artis Atheniensis opus afferre de cujus aetate certius quidquam statui nequit.

2. *Tabulam pictam* dico, Palladii raptum exhibentem, quam Athenis in Pinacotheca se vidisse narrat *Pausanias* I 22.6: *Διομήδης ἦν, ὁ μὲν ἐν Λήμνῳ τὸ Φιλοκτήτου τόξον, ὁ δὲ τὴν Ἀθηνᾶν ἀφαιρούμενος ἐξ Ἰλίου.*[2]) Ex quibus verbis minime efficitur unum Diomedem repraesentatum fuisse, cum periegeta tabulae argumentum obiter tantum indicet. Illud certe affirmare licet, Tydidem primas partes egisse atque unum tantum Palladium expressum fuisse.

---

[1]) Vid. Jahn, l. c. 259.

[2]) De hoc loco cf. Robertum Sarkophagreliefs II 149, qui Paus. V 10.8 attulit: *Κένταυρος δὲ ὁ μὲν παρθένον, ὁ δὲ παῖδα ἡρπακώς ἐστιν ὡραῖον.* — Vid. etiam quae de tabulae aetate dixerit v. d. „. . das Bild, das nicht von Polygnot, sondern von einem jüngeren Meister aus der Blütezeit der Tafelmalerei herrührte.“

Sed jam per monumenta ARGOS deducimur, cujus civitatis exstat

3. nummus argenteus saec. IV.

Journ. of hellen. Stud. 1885 t. 54. no. 43.

in quo vir nudus aspicitur qui caute dextrorsum procedit, dextra demissa gladium, sinistra porrecta parvum Palladium tenens. Minervae simulacrum galea et chitone longo indutum est; laevo bracchio clipeum rotundum, dextra erecta hastam fert. — Est haec Palladii Argivi forma, quae in pluribus ejus civitatis nummis semper eadem efficta est: in nummis ineditis saec. IV[1]) a. Chr. n., et in nummis saec II p. Chr. n. de quibus postea dicam.

Ad eandem fere aetatem pertinere videtur archetypus

4. signi Glyptothecae Monacensis 162

Clarac 871, 2219.

quo Diomedem Palladium ferentem exhiberi recte ut opinor Brunnius contendit (Beschr. der Glypt.), cujus descriptionem afferre liceat: »der tatkräftige Held steht fest auf dem rechten Fusse, und indem er mit der Rechten das Schwert gezückt, im linken Arme aber das Palladium hält, wendet er den Blick links, um unverzagt der Gefahr zu begegnen, die von dort zu drohen scheint.« Figura nunc Victoriam portat, quae tamen ad statuam non pertinet; Palladium ab heroe tentum esse eo verisimillimum fit quod ad eundem archetypum multa artis opera redeunt, quae Diomedem simulacrum Minervae tenentem praebent; vid. infra sub no. 6, p. 15, no. 19, no. 20, no. 21.

[1]) Journal of hellenic Studies, 1885 p. 88: a Num. Comment. on Paus.: Argos, 22.

[2]) Respice etiam quae Brunnius adnotavit: „Dass die Münchener Figur nicht, wie man vermutet hat, einen Schild am Arme trug, lehrt der Rest einer Stütze auf dem Gewande gerade hinter dem Rücken der Victoria, welche sich sehr wohl mit der Annahme verträgt, dass im linken Arme das Palladium geruht habe.“

Archetypum autem Argis stetisse fortasse inde conjicere licebit, quod in nummo Argivo aeneo Antonini Pii capite signato figura Diomedis Palladium tenentis aspicitur, quae in plerisque cum signo Monacense congruit (ed. J. of hell. Stud. 85 t. 54.44).

Cum Graecia ipsa tam pauca artis antiquioris opera ad Palladium Trojanum pertinentia nobis praebuerit, MAGNA GRAECIA multa protulit monumenta, quae Palladii raptum exhibent. Ad quae nunc accedo.

5. *Amphora mus. Neapol. 3231 (Heyd. Cat.)*

Rubis reperta. — Annali 1858 t. M.

In fronte amphorae pictum est supplicium de Marsya sumptum; quae ad nostram rem pertinet pictura in altero est vasis latere. Medium tenet templum quattuor gracilibus columnis ionicis fultum. Latus posterius alta porta aperta occupat. — In media aede conspicitur ara magna quadrata in qua ignis flagrat (Heydem.). — Ex hoc templo juvenis erumpit imberbis qui suspenso gradu sinistrorsum fugit. Nudus est praeter chlamydem petasumque, quae ab ejus tergo pendent; laeva magnum Minervae armiferae signum pectori apprimit; dextra gladium tenet. Animadverte ejus habitum atque vestitum Diomedis simillimos esse qui in Hieronis patera depictus est, praeter quod imberbis est. Oculi anxietatem optime exprimunt, sed cum in nulla re defixi sint, figura auribus aucupium facientis potius speciem praebet. Inde noctu res agi concludes. Ante juvenem stat in sinistra tabulae parte mulier ornatu regio quae laeva manu poculum ei porrigit.

A dextra autem templi vir barbatus conspicitur, brevi chitone indutus qui palma acu picta ornatus et lato cingulo cinctus est. In capite pileum habet. Chlamys post tergum volitat atque optime ostendit heroem a dextra picturae parte celeribus gradibus ad templum contendere. Dextrorsum tamen respicit et, cum laevo bracchio clipeum portet, dextra hastam

adversus mulierem vibrat, quae celerrime fugiens conspicitur. Sacerdotem esse eam magna quam tenet clavis satis indicat. Haud dubium autem mihi videtur quin ejus ipsius templi clavis sit quod in media pictura conspicitur. Viri denique pileati vultus aperte stomachi furorisque signa prae se fert.

Apparet viros Diomedem et Vlixem esse Palladium Trojanum rapientes. Templum sine dubio Minervae est; sacerdos, siquidem Homerum adhibere licet, Theano appellanda est. Quae fuerint autem ejus in Palladio rapiendo partes clave quam tenet templique valvis apertis satis ostenditur: aedem Diomedi aut vi aut precibus mota aperuit. Vlixes nunc ad templum pervenit atque cum raptum jam a comite perpetratum vidit ira in sacerdotem effertur. Mulier autem regia quae raptoribus favet alia esse vix potest quam Helena.

In summa picturae parte conspiciuntur etiam deorum nonnullorum figurae. Supra signi sui raptorem Minerva sedet, eaque incepto favens. In dextra Hermes conspicitur, furum patronus, Diomedem aspiciens. Media sedet Nike, coronam torquens eoque felicem eventum significans.[1])

6. Amphora mus. Neapol. 3235, Rubis eff.

Mon. d. Inst. II 36. Inghirami Vas. fitt. 333, 334. Overbeck 24.19. Minervini Illustr. di un vaso ruvese. Nap. 1851.

Amphoram tres figurae decorant. — Media stat mulier, splendido chitone bis cincto induta, capite *στεφάνῃ* caelata ornato. Sinistrorsum versa est manumque laevam ad juvenem protendit qui ante eam stat. Ejus adolescentis figura habitu et positione ita cum statuae Monacensis (4) typo congruit ut dubitari vix possit quin pictor eum respexerit. Juvenis est imberbis roborisque plenus, nudus praeter chlamydem quae a tergo pendet, capite corona ornato. Laevo bracchio Palladium, gladium dextra tenet. *ΔΙΟΜΕΔΕΣ* nomen supra eum inscriptum

[1]) Haec est amphora quam Laviola Bullet. 1837 p. 83 sane parum accurate descripsit.

est. — Altera ex parte Vlixes (*ΟΔΕΥΣΣΕΥΣ*) conspicitur, corpore graciliore, et is chlamyde tantum indutus; hasta sinistra innixus dextra gladium in vagina reconditum tenet. — Restat ut mulierem nominemus. Leguntur autem supra ejus caput litterae *ΕΛ* . . . quae cum in dubium vocari non possint confirmentque ei qui tabulam inspexerunt nullam litteram ante *Ε* stare potuisse[1]), nomen nullo alio modo, quantum video, restitui potest nisi *ΕΛΕΝΑ*.

Quod exiguum parapetasma supra caput Helenae affixum est, quaeque inter eam et Diomedem conspicitur columna (in qua fortasse signum stabat Minervae) comprobare videntur in domo vel potius in templo res agi.

Jahnius autem tabulam ita interpretatus est, ut Helena rixam quae inter heroes exstiterit sedare velit. Attamen nulla contentio expressa esse mihi videtur, cum figurae placidissime astent; atque puto picturam interpretatione non nimis premendam esse neque quicquam aliud pictorem egisse quam ut illas personas una pingeret, quae in Palladii raptu primas partes egerint. Vt facilius autem intellegatur Palladii raptum exhiberi etiam basim simulacri adjecit.

Quod vero hujus tabulae figurae habitu vestituque maxime cum figuris praecedentis amphorae conveniunt (respicias velim ex. g. hic quoque unum Vlixem hasta esse instructum[2]), magni momenti est.

Confirmantur enim hac similitudine nomina quae illis attribuimus, et praesertim mulierem regiam Helenam appellandam esse nunc constat[3]).

---

[1]) Vid. Jahn, l. c. 250. Adn. 2.

[2]) Ambo heroes eodem habitu repraesentantur in duobus picturis vasc. quae Doloneiam exhibent, Annali 1875 t. Q et R.

[3]) Nihil dicam de amphora quam Jahnius Vasenbilder t. 3 edidit, cum eam ad Palladii raptum non pertinere jam inter viros doctos constet. Cf. quae de eius argumento Koertius protulit, Annali 1881, p. 179.

7. Amphora Campana mus. Berol. 3025.

Cumis rep. — Annali II (1830) t. D = Welcker A D. III 28. Overbeck 25.1.

In tribus gradibus posita est columna ionica satis ornata. Sepulcrum significari perspicuum est. In gradibus mulier sedet, dextrorsum versa, chitone atro induta, capillis detonsis, cruribus himatio involutis. Vtraque manu urnam magnam in crure positam tenet, capite demisso, atque aperte lugentis speciem praebet. Cum sic luctu plane ab astantibus sejuncta esse videatur, quos nec videt nec audit, — duae figurae quae ante tumulum stant non dubium est quin una actione conjunctae sint [1]). Etenim dextra in parte femina aetate provecta aspicitur, quae subito consistere atque paulum recedere quasi haesitans videtur. Chitonem, himatium, crines tonsos habet; pedes calceis vestiti sunt. Dextra erecta clavem sacerdotalem tenet, cum summis laevae digitibus parvum sustineat Palladium, quod paulo retrorsum avertit quasi id tradere recusaret. Oculos in juvene defixos tenet qui ante eam a sinistra tumuli stat. Adolescens est imberbis, chlamyde tantum vestitus cujus caput pileo cuneato, pedes calceis vestiti sunt. Ejus pectus dextrumque femur margaritarum lineis sunt ornata. Dextra porrecta taeniam sacerdoti offerre videtur; sinistra aliquid tenet quod gladium esse Furtwänglerus recte ut opinor arbitratus est.

Minervae autem sacerdotis figura habitu et vestitu maxime cum illa congruit quae in amphora supra descripta conspicitur; atque etiam albis capillis Theano significari puto, cum apud Homerum Antenor senex esse dicatur. Ex ea ratione certe qua clavem fert non sine quadam veri specie concludi potest Palladium ab ea ex templo quodam, cujus fores sedulo occlusae erant, modo surreptum fuisse.

Itaque scaenam ad Palladii Trojani raptum refero [2]),

---

[1]) Hoc fortasse non satis respexit Benndorfius Vasenbilder p. 44 Adn. 229.

[2]) Cum Hirtio (Annali II 95) et Jahnio l. c.

quamquam hac aetate de ea re dubitationes motae sunt magnae [1]. Quae sententia si recte se habet, non dubito quin juvenis Diomedes nominandus sit; pileum enim in vasculorum Campanorum picturis multis heroibus indistincte tribui notum est. Taenia tamen quid sibi velit quam dextra tenet minime apparet; vixque recte se habent quae Welckerus et Overbeckius de ejus significatione protulerunt [2]. — Sacerdos Palladium juveni traditura esse videtur, quamquam adhuc haesitantis ac renitentis speciem praebet.

Quaenam autem femina sit quae in tumulo sedet hic dici non potest [3]; conjecturam infra proferam.

8. Vrna mus. Parisini, Armenti reperta.

Millingen, anc. uned. mon. I 28, Arch. Zeit. VI 17.2, Overbeck 24.20.

Opus saeculi tertii. — In dextra tabulae parte, superiore loco, stat Minerva, talari veste manicata et brevi chitone vestita. Ejus caput tegumento Phrygio tectum est ex quo capilli in humeros defluunt. Deae sinistra hasta nititur, clipeus a terra usque ad crus ipsius erectum est. Dextra porrecta aliquid imperare videtur. — Ante eam aspicitur vir barbatus, nudus nisi quod chlamys a bracchio pendet, corpore graciliore. Eo perculsus quod dea subito apparuit, oculis arrectis eam respicit. Dextra gladium, sinistra hastam in humerum inclinatam fert; sed etiam parvulum quoddam signum una cum hasta digitibus sustinet, quod a tergo conspici ex bracchiorum situ apparet. — A dextra ejus figurae adolescens nudus praeter chlamydem aspicitur, qui ipse quoque deam respicit cursu quo dextrorsum tendit interrupto. Sinistra quae chlamyde involuta est (*πέπλους περισχών*, Lycophr. 1266) mirum quoddam sigillum tenet, stipitem potius duobus sulcis

---

[1]) vid. Stephani C. R. 1886 p. 59, Benndorf l. c., Furtw. Cat.

[2]) Welcker, A. D. III 312, Overbeck, Her. Gal. 581: „Die Taenie bedeutet Verlockung, Gewinnung."

[3]) Jahnius l. c. 243, Andromachen ad Hectoris tumulum lugere vult; quae sententia tamen nullo argumento comprobari potest.

ornatum, in cujus parte superiore caput humanum exsculptum est. — In dextra denique tabulae parte mulier adstat, στεφάνῃ, monili, armillis ornata, capite demisso. Utraque manu baculum tenet quem facem esse, cujus interierit flamma flavo colore picta, verisimile est. Etenim noctu res agi e stella parteque inferiore orbis lunae apparet, quae in summa tabula adspiciuntur.

Quodsi nunc ad interpretationem accedimus, minime dubium est quin Diomedes et Vlixes sint ambo heroes atque Palladii raptus effictus sit, praesertim cum pictor tegumento Phrygio Minervam Trojanam aperte designaverit. Plenissime consentit praeterea utriusque herois habitus cum figuris duarum amphorarum supra descriptarum (5.6). Mulier regio cultu ornata Helena nominanda est. — Sed ut similitudines sunt magnae, ita maximum discrimen intercedit inter hanc et illas picturas, quod hic duo sunt Palladia. Qua in re cum Hieronis patera consentit haec tabula, atque jam confirmationem habes sententiae supra prolatae, Diomedis signum in pictura Hieronis falsum habendum esse.

Quae autem ea sint quae Minerva Vlixi mandet hic dijudicari non potest.

Saeculi tertii quoque est

9. Vas mus. Neapol. 179, impressis figuris ornatum.

VII. Hall. Winck. Progr. t. 3.5.

De hoc vasorum genere ac aetate vide Heydemannum Winck. Progr. VII.

Duo viri chlamyde induti citato gradu sinistrorsum tendunt. Is qui antecedit imberbis est; sinistra quae chlamyde circumdata est simulacrum non plane accurate expressum portat. Quid dextra teneat non constat, cum Heydemannus quidem gladium, delineator facem esse contenderit. Rationem qua teneatur ceterasque repraesentationes respicienti magis placebit Heydemanni sententia. — Sequitur

vir barbatus, cujus caput pileo ornatum est. Hic flexo motu gladium mirum in modum dextra porrecta prae se fert. A praecedente respicitur. — Iam agnoscis Diomedem et Vlixem.[1])

10. Oenochoe Tarentina mus. Britannici

Collect. Castellani (1884) 24.117: Jahrb. d. Inst. I p. 296.

quae scaenam exhibet ex illis comoediis sumptam quas Graeci *Φλύακας* nominabant. Hujus generis vascula collegit et explicavit Heydemannus Jahrb. d. Instituts I p. 260 sqq. — In sinistra tabulae parte conspicitur Vlixes pileo et barba insignis, plane nudus, corpore turgidulo; — laeva quae chlamyde circumdata est satis magnum Minervae signum fert; gladium dextra tenet. Capilli sunt hirsuti, facies foeda. Torvi oculi in Palladio figuntur atque tota figura admiratione simul ac terrore moveri videtur. Sequitur Diomedes exigua statura corporeque debiliore, ipse quoque oculos in signo miro figens. — Vtrimque herba aspicitur; per campum igitur re feliciter gesta ad castra Graecorum redeunt. — Tribus orbiculis in summa tabula pictis stellas significari opinor.

Duae sunt res quae in hac tabula offendunt: Palladium ab Vlixe ferri atque utriusque herois oculos in simulacro cum admiratione defigi. Priorem rem suo jure, ut opinor, Heydemannus ita explicavit, ut parodiae causa facta sit, — nam in omnibus ceteris monumentis, uno excepto de quo postea dicam, Palladium a Diomede portatur. Liceat igitur Heydemanni verba afferre: »Diese Abweichung vom Landläufigen ist gerade der Angelpunkt der komischen Scene: Odysseus gerieben und schlau wie immer hat sich des Palladiums, das

[1]) Non dubito quin aliud ejusdem formae exemplum sit vas a de Witte descriptum; Cat. Durand no. 1378: „Vase à reliefs, Grande Grèce. Diomède et Ulysse enlevant le Palladium. Tous deux tiennent l'épée nue à la main et sont vêtus de simples chlamydes. Ulysse est coiffé du piléus. C'est Diomède qui marche le premier et porte le Palladium."

Diomedes geraubt, auf irgend eine Weise bemächtigt. . . . . Es ist eine komische Wendung der Sage.«

Quid autem in Palladio mirentur heroes nisi scriptorum testimoniis adjuti enucleare non possumus.

Ex magna Graecia quoque exorta videtur

11. Forma fictilis mus. Berolin. 264. cf. 263.

Arch. Zeit. IV t. 37. Overbeck 25.2.

quam saec. alterius a. Chr. n. esse opinor. — Quamquam juxta compositi sunt ambo heroes, Vlixes tamen, cujus bracchium sinistrum post Diomedem apparet, comitem praecedentem sequi videtur. — In sinistra Diomedes nudus placide consistit chlamyde bracchio imposita. Laeva manu Palladium sustinet satis magnum, dextra gladium tenet[1]). — Vlixes in dextra parte conspicitur, barba et pileo insignis, qui ipse quoque Palladium plane simili modo fert. Vestitus est chlamyde et calceis. Dextra quae juxta Diomedis caput apparet gladium tenet. Saltat, ut ita dicam, mirum in modum gradu suspenso. — Ambo heroes placide ad naves una redire videntur, neque est quod jurgium inter eos exstitisse putemus.

Tertium jam est monumentum in quo uterque heros Palladium ferens conspicitur (cf. 1 et 8), quorum in nullo, siquidem recte interpretati sumus, contentio inter Vlixem et Diomedem expressa est. Praebent autem tria temporis momenta diversa: discessum Palladio Trojae rapto (8 ubi adspicitur Helena), reditum per campum (11), adventum in castra Graecorum (1). Possunt omnia ad eandem traditionem pertinere; attamen re vera vas Atticum saec. quinti ineuntis et anaglyphum fictile saec. secundi ad eundem fontem redire minus probabile videtur. Vasculum saltem Parisinum anaglyphumque Berolinense ad eandem fabulam referenda esse verisimile est[2]).

---

[1]) Mihi enim saepius formam ipsam inspicienti nihil dubitationis remanet quin gladius sit.

[2]) Nescio quo pervenerit anaglyphum fictile quod antea in aedibus Gerhardi erat. Vide Arch. Zeit. VII p. 66 Adn. 6: „eine Minervenherme trägt

Huc pertinere videtur etiam

12. Nummus plumbeus Siciliae

quem de Witte ita descripsit: Cat. Beugnot No. 419, »Un sujet peu distinct; il parait représenter Diomède et Ulysse enlevant le Palladium. Les 2 héros sont nus; le tout dans un carré creux.«

Illa quae recensuimus artificum opera omnia in magna Graecia exorta sunt, sed nonnulla exstant fere ejusdem aetatis monumenta per quae ad aliam regionem deducimur.

13. Nummi sunt NOVI ILII

in quibus inde a saec. secundo saepius Palladium expressum videmus quod necessario Trojanum Palladium putandum esse scriptorum testimonia declarabunt. Multi apud Schliemannum editi sunt: Troja 224 sqq., Ilios 713 sqq. (ubi cf. quae scripserit Postoloccas); vid. etiam Müller-Wies. II 21.222, British-M. Guide t. 49.12 (cf. Head H. N. 472 sqq.). Simulacrum longo chitone bis cincto indutum effingitur; dextra manu hastam humero ad libramentum impositam, laeva porrecta fusum tenet. Caput tum galea cristata tum polo ornatum est; pars inferior corporis nonnunquam in hermae formam evadit. In plerisque nummis inscriptio legitur *ΑΘΗΝΑΣ ΙΛΙΑΔΟΣ*; alii vel sacerdotem libantem vel juvencam ante Palladium mactatam exhibent.

Liceat hic opus afferre artis TVSCAE;

14. Speculum Tuscum

dico a Duhnio Bull. d. Inst. 1878 p. 42 ita descriptum: »specchio di disegno elegante, ritr. al Orvieto . . Vedesi Agamemnone assiso che stende le mani, onde ricevere il Palladio offertogli da Diomede accompagnato da altro guerriero

---

der Palladionräuber einer aus Gnathia herrührenden Thonfigur meines Besitzes.“

imberbe munito, come quello, d'elmo, ma privo di ocree.« — Cum duae priores figurae nomina ascripta habeant, tertia inscriptione caret. Num re vera Vlixes sit vir ille imberbis dubium mihi videtur. Tota scaena plane singularis est nec eam dilucidare possum. Agamemnonem jam in Hieronis patera depictum vidimus, in qua tamen duo Palladia cernebantur, ita ut eam ad hujus speculi interpretationem adhibere non liceat.

Ex saec. II igitur pauca tantum exstant monumenta quae ad Palladium pertinent. Quae deinde nobis temporum ordinem sequentibus occurrunt ROMANA sunt.

Magna enim exstat copia

Gemmarum

Romae sculptarum quae Palladii raptum exhibent; antiquissimae saeculi primi a. Chr. n. esse videntur[1]). Cum autem fere innumerabiles atque aut omnino non aut prave tantum editae sint, ita ut uniuscujusque aetas definiri non possit satis habebo pauca hic in universum de eis dicere et exempla afferre. Sane non multum praebent ad varias fabulae versiones restituendas[2]).

Et primum quidem his gemmis demonstratur Palladii a Diomede rapti fabulam Romae illis temporibus notissimam fuisse. Non constat tamen quae causa fuerit cur tam saepe hujus generis monumenta scaenis ex illa fabula sumptis ornata sint, cum in paucis tantum aliis artis Romani operibus Palladii raptus exhibeatur. Levezowius quidem mihi non persuasit qui hoc superstitionis causa factum esse contendit. Saepissime

---

[1]) Furtwängler, Jahrb. d. I. III 221: Diomedes mit dem geraubten Palladium ist ein Lieblingsgegenstand auf den Gemmen, welche ihrem Stile nach den letzten Jahrhunderten v. Chr. zuzuschreiben sind. — Jahrb. IV 90: „Die älteren Diomedes-Gemmen, die sicher voraugusteisch sind."

[2]) Levezow, Raub d. P. auf gesch. Steinen. Braunschw. 1801. Millin., Mémoires de l'acad. de Turin 1812. O. Jahn, l. c. Overbeck, Her. Gal. 593—607. Furtwängler, Jahrb. III et IV.

certe gemmarum sculptores noti archetypi sola venustate allictos esse in aprico est.

Pleraeque gemmae unius Diomedis figuram monstrant, quarum haud paucae statuae Monacensis typum ostendunt (Levezow. t. II 11, Millin t. III 9); — in aliis Diomedes aspicitur ante Palladium columnae impositum stans (Lev. I 1. Mus. Florent. II t. 65.1, 74.2), — vel signum in ara positum corripiens (Millin I 3.4, Lev. I, 2). In aliis heros Palladio rapto caute ex templo exit gladium paratum tenens; inter ejus pedes figura custodis dormientis (vel interfecti) nonnunquam conspicitur (in gem. Solonis opere Jahrb. III t. 8.29; Mus. Flor. 27.2). Secundum haec quoque igitur monumenta primas partes semper agit Diomedes, quippe qui in templum unus penetraverit sacramque effigiem surripuerit.

Sed jam venio ad nonnullas gemmas ex antiquissimis pulcherrimisque, quae insignem praebent effigiem Palladii raptus. Cum enim in his repraesentationibus adhuc nullum certum typum praevaluisse viderimus (excepta tamen Diomedis figura quae saepius ad signi Monacensis typum effictа est), nunc primum typum invenimus qui in compluribus expressus sit monumentis. Quo facto probabile fit artifices notissimum quoddam archetypum imitatos esse.

Monumenta jam enumerabo; quorum antiquissima gemmae sunt de quibus supra dicebam, Augusti temporibus sculptae.

15. A. Gemma Felicis opus (Overbeck t. 24.21).
Jahrb. d. Inst. III t. 10,7. Robert, Sark. II p. 151.
(Cf. Furtwängler, Jahrb. III 312, Robert, l. c.)

In parte posteriore conspicitur murus altus supra quem parvum aedificium eminet. Ante murum columna stat satis excelsa cui Apollinis figura imposita a tergo aspicitur. Juxta columnam in sinistra ara posita est serto ornata, ex qua vir nudus ad terram caute descendit. Ejus pes sinister solum jam tangit cum dextrum crus adhuc in ara sit; ex quo situ apparet eum antea in ara stetisse. Laeva quae chlamyde

circumdata est, Palladium, dextra gladium tenet. Imberbis est. — Ante eum vir stat praeter chlamydem nudus quem Vlixem esse barba ac pileus satis demonstrant. Genibus paulo inflexis pedeque dextro in basi humili imposito dextrum bracchium extensum ad terram demittit. Quid sibi velit hic gestus non plane liquet. Fortasse Diomedem vel Palladium suscipere studet, quod voluit Robertus; nescio an potius comitem vehementissime increpet. Manu sinistra gladium in vagina reconditum tenet. Inter heroes parva figura dormientis vel mortui humi jacet.

B. Vnius Diomedis de ara descendentis figuram plurimae gemmae ostendunt, quarum haud paucae pulcherrimae sunt atque artificum nominibus signatae. Inter omnes ea insignis est quam Dioscurides sculpsit: Jahrb. d. J. III t. 8.26. Alia Polycleiti (Jahrb. t. 8.27), alia Cneii (Jahrb. 8.28) nomine signata est.[1]) — Sed etiam gemmae illis antiquiores eandem monstrant figuram, de quibus cum editionibus nulla fides tribuenda sit Furtwängleri verba affero (Jahrb. III p. 221 Adn.): Das Motiv findet sich »genau übereinstimmend in allen wesentlichen Punkten mit dem Dioscurides Steine in ziemlich zahlreichen antiken Gemmen und Pasten. Die älteste Wiederholung ist die auf einem kleinen convexen Sard des frührömischen Stiles (3—1 Jhd. v. Chr.) in der kgl. niederländischen Sammlung (de Jonge. Cat. d'empr. 887)«.

C. Vnius Vlixis quoque figuram gemmae nonnunquam praebent, sed rarius. Levezow II 8, Mus. Worsl. 22.1, Mus. Flor. II 27.3.

D. Pictura parietaria Pompejana

Steinbüchel, Grosser antiquarischer Atlas t. VIII D. no. 2.

Est una ex picturis quibus porticus templi Apollinis ornabatur; quas ultimis quibus Pompeji stabant temporibus

[1]) Cf. Furtwängler, Jahrb. III p. 220, 314, 315.

pictas esse constat. Videntur omnium argumenta ex cyclo Troico desumpta esse (cf. Overbeck-Mau, Pompeji 103). — Periit hujus tabulae tota pars superior, ita ut num murus quoque templumque supereminens depicta fuerint judicari non possit. Nescio deinde quae fides editioni facienda sit, quam ut in aedibus Roberti paulisper tantum inspicerem mihi contigit.

Exhibetur ejusdem archetypi imitatio etiam in

E. Latere angusto sinistro sarcophagi saec. I.

Gori Inscr. antiq. III 39 = Robert, Sark.rel. LI 139a.

Sculptura ipsa interiit; delineationem tantum habemus a Gorio editam. Quae parvae intersunt dissimilitudines inter hanc et ejusdem typi reproductiones quas antea enumeravimus delineatoris erroribus explicantur; de quibus vid. Robertum p. 150.

De ejusdem aetatis artis opere *Plinius* haec tradit (N. H. 33.55): »Fuit dein Pytheas, cujus duae unciae Xx venierunt; Vlysses et Diomedes erant in phialae emblemate, Palladium surripientes.« Pytheam Neronis temporibus fuisse constat; ex monumentorum autem quem instituimus catalogo elucet Palladii raptum illis temporibus Romae constanter ad typum de quo nunc agimus expressum esse. Cum jam ex hoc verisimile fit etiam vas argenteum Pytheae sic ornatum fuisse, comprobatur haec sententia vasculo ejusdem artis quod etsi ad recentiorem pertinet aetatem huc affero:

F. Vas argenteum in oenochoes formam caelatum.

R. Rochette, Mon. inéd. t. 52. Overbeck 24,5.

Cum hic nonnulla in typo transferendo commutata sint, aliquid novi ad archetypi argumentum illustrandum affert oenochoes »emblema«. Diomedes enim non de ara, sed de rupe quadam satis praerupta descendit, qua sine dubio clivus arcis significatur. — Vlixes bracchio dextro ad Palladium protento accurrere videtur. Inter heroes ara (Apollinis) stat. In sinistra vero templum aspicitur, quod cum a tergo Diomedis positum sit, haud dubium videtur quin inde Palladium

raptum fuerit. Verisimillime est idem aedificium quod in gemma Felicis supra murum conspicitur; unde jam elucet templum hoc esse Minervae Troianae.

G. In nummo Argivo, Hadriani capite signato (J. of hell. St. 1885 t. 54 K 45), unius Diomedis figura ad eundem typum incusa est, ita ut plane cum gemmis supra allatis (B) congruat, nisi quod in contrariam partem versa est (cf. gem. a Gerhardo editam, Minervenidole V 1).

Vnius quoque Diomedis figura conspiciebatur in

H. anaglypho marmoreo quod antea in museo Veronense erat, nunc amissum est, cujusque delineatio apud Maffeium, Mus. Veron. 75.4 exstat.

Totius typi denique reproductiones in duobus artis humilioris monumentis inveniuntur,

I. in anaglypho aeneo, Levezow. t. I 6, et

L. in lucerna fictili a Passerio Luc. fitt. II 98 edita. Dissimilitudines satis magnae quae in hac repraesentatione occurrunt arte non satis perfecta explicantur. Diomedis saltem figuram ex typo notissimo sumptam esse manifestum est.[1])

Postquam monumenta adhuc exstantia enumeravimus quae illum Palladii raptus typum praebent, nunc ad interpretationem venimus; quam cum Robertus nuper elegantissimam dederit, pauca sufficient. Quoniam autem plenissimam repraesentationem Felicis gemma monstrat initium ab ea faciendum est. Apparet

---

[1]) Haec Diomedis figura venustate sua artifices ita allexit ut eam etiam ad alia argumenta exprimenda adhiberent; videmus enim Orestem ex ara Delphica descendentem ad eundem typum exprimi in anaglypho marmoreo Neapolitano (Jahrb. d. Inst. IV t. 2, 7. Cf. Robert Sark. p. 151 Adn.). Cf. etiam ejusdem Orestis figuram in sarcophagis a Roberto Sark. LIV — LVI editis. Quid? Quod etiam ab artificibus illius aetatis quam Renaissance appellamus saepe delineata fuit? Vid. Jahrb. d. Inst. III 221 Adn., IV 89.

heroes signo ex urbe rapto nunc ad murum Trojae esse. Tydidem enim in ara modo stetisse ex figurae collocatione elucere vidimus, quod quidem alio modo explicari vix potest nisi quod in illam de muro desiluit. Haec interpretatio vasculo argenteo valde comprobatur, in quo Diomedes de arcis rupe se demittit. Comprobatur etiam statua Apollinis columnae imposita, cum eum Apollinem ἀγυιέα sive προστάτην esse Robertus viderit p. 151 op. c. Vlixes comitem aegre excipere videtur; quae autem fuerint ejus partes in signo rapiendo scriptorum testimoniis tantum allatis dici poterit. Ex custodis cadavere res prope ad portam quandam agi elucet. Minervae templum supra murum urbis conspici jam antea diximus.

Restat ut de horum monumentorum archetypo quaeramus. Notissimum illum fuisse jam constat. Ex tota autem repraesentationis constitutione verisimillimum fit tabulam pictam fuisse; atque suspicatus est Robertus illam ipsam fuisse quam Athenis in Pinacotheca vidit Pausanias (2). Ut hoc conjiceret v. d. sine dubio eo adductus est quod in sarcophago supra descripto (*E*) Diomedes et Vlixes Philoctetis arcum surripientes juxta Palladii raptum exhibentur; quae facta Athenis quoque conjuncta esse ex verbis Pausaniae apparet. Dubito tamen num huic rei aliquid tribuendum sit, cum haec furta conjungi consentaneum fuerit, atque re vera etiam in altero anaglypho (vid. infra no 20) juxtaposita sint, in quo Palladii raptus ad typum plane diversum expressus est.

Picturas vero quae Apollinis templi porticum Pompejis ornabant, cum omnium argumenta e bello Trojano sumpta fuerint, a Theone pictore pendere nonnulli putaverunt. Ex Plinio enim (N. H. 35.144) comperimus, »cyclum Troicum« ab eo multis in tabulis depictum fuisse, quae temporibus Augusti in porticu Octaviae videbantur. — Quid tamen huic conjecturae dandum sit difficillimum est dictu. Illud velim respicias hujus unius tabulae argumentum Iliadem non praebuisse. Ex quo conjicias eam ex alio quodam picturarum cyclo sumptam esse.

16. Pictura Pompejana, a. 1872 effossa.

Mus. Nazion. Giorn. degli Scavi di Pomp. II t. X.

Locus quo scaena agitur quam accuratissime depictus est: quem primum describemus. — In posteriore tabulae parte templum doricum eminet, cujus frons quattuor columnis ornata est inter quas serta pendent. — Major pars aedis velo ingenti occultata est quod tecto et columnis est alligatum. Videtur tamen nullo alio consilio sic collocatum esse, nisi ut figuris antestantibus nudam aream praebeat. Apparent post templum nonnullorum cypressorum fastigia; — sentes in dextra tabulae parte, in media arbor arida conspicitur.

Jam perspicuum est lucum significari. Accedit quod in media fere tabula ara ingens stat cum igne flagranti. Eminet post eam basis altissima in qua tripus impositus est. Etiam mensa sacra variis donis onerata juxta altaria astat. Columna denique utrimque eminet ita ut spectatori proxima sit atque dimidia tantum conspiciatur. Quae in sinistra stat nihil praebet insigne; altera, ionico capitulo cui urna imposita est ornata, taeniis tota cincta est. Dona (fructus vel ova) basi imposita sunt, quae ipsa quoque taeniis est ornata. Quin his omnibus sepulcrum indicetur dubitari mea sententia non potest[1]). —

Sed jam ad figuras venio. Ante tumulum supra descriptum mulier stat capite corporisque parte superiore retrorsum rejectis, capillis in humeros defluentibus, pedibus nudis. Cum sinistram erigat sepulcrum vehementer alloqui videtur; facem flagrantem dextra demissa tenet. — Sustinetur a parva figura vestitu Phrygio induta, infra quam inscriptum est nomen *ΥΠΕΡΕΤΗΣ*. Ejus domina quae sit apertum est cum nemo agnoscere non possit *βακχεῖον κάρα τῆς θεσπιῳδοῦ Κασάνδρας*. Et nomen adhuc distincte infra legi mihi confirmavit Robertus.

---

[1]) Concedendum sane est columnas cum urnis impositis saepe ornamentorum instar in picturis Pomp. adhiberi, sed nunquam taeniis ornantur neque dona eis proponuntur.

Cassandram autem intentis oculis observant nonnullae figurae quae in sinistra tabulae parte conspiciuntur. — Helenam hic videmus, quae dextra protenta Priami filiam delirantem comitibus suis ostendit, quorum alter, Vlixes, chlamyde, pileo, calceis vestitus, sinistra Palladium tenet, dextra barbam corripit. Hoc gestu totiusque figurae habitu optime exprimitur qua cum animi intentione verba motusque Cassandrae observet. — Inter Helenam et Vlixem Diomedes aspicitur et ipse chlamyde calceisque vestitus, capite leonis exuviis ornato. Vterque heros, quantum quidem judicari potest, inermis est. Juxta Helenam serva ejus Attica astat Aethra. Omnes figurae nomina graecis litteris ascripta habent.

Expressus est igitur Palladii Trojani raptus. Apparet porro raptum jam perpetratum esse et in eo esse ut heroes abeant. Non dubito quin Palladium ex eo templo modo ereptum fuerit quod in parte posteriore conspicitur. Est igitur aedes Minervae Trojanae. Heroes signo rapto ad Helenam redierunt et nunc verba avide excipiunt quae Cassandra numine instincta profert. Haud dubium est quin ab ea minime conspecti fuerint. Ex face autem quam tenet Apollinis sacerdos noctem esse jure conjicias.

Quodsi nunc hanc miram picturam cum monumentis comparamus quae adhuc perlustravimus, magnam praebet similitudinem cum amphora Apula sub no. 5 descripta. Etenim primum illius quoque proprium est quod raptus efficitur adjuvante Helena. Locus scaenae deinde fere idem est, cum in utriusque picturae parte posteriore templum Minervae Poliadis conspiciatur. — Cave tamen ne his similitudinibus adductus sacerdotem fugientem amphorae Apulae Cassandram esse velis; nam — ne utriusque figurae dissimilitudines enumerem, — temporum momenta in duabus tabulis valde differunt: illic enim Palladium rapitur; hic jam rapto discedunt raptores. Etiam aliud discrimen est quod in vasculi pictura (ut in ceteris monumentis) signum a Diomede rapitur, in pictura pariet. autem ab Vlixe portatur. Quod tamen fortasse ex momentorum

16. *Pictura Pompejana, a. 1872 effossa.*

Mus. Nazion. Giorn. degli Scavi di Pomp. II t. X.

Locus quo scaena agitur quam accuratissime depictus est: quem primum describemus. — In posteriore tabulae parte templum doricum eminet, cujus frons quattuor columnis ornata est inter quas serta pendent. — Major pars aedis velo ingenti occultata est quod tecto et columnis est alligatum. Videtur tamen nullo alio consilio sic collocatum esse, nisi ut figuris antestantibus nudam aream praebeat. Apparent post templum nonnullorum cypressorum fastigia; — sentes in dextra tabulae parte, in media arbor arida conspicitur.

Jam perspicuum est lucum significari. Accedit quod in media fere tabula ara ingens stat cum igne flagranti. Eminet post eam basis altissima in qua tripus impositus est. Etiam mensa sacra variis donis onerata juxta altaria astat. Columna denique utrimque eminet ita ut spectatori proxima sit atque dimidia tantum conspiciatur. Quae in sinistra stat nihil praebet insigne; altera, ionico capitulo cui urna imposita est ornata, taeniis tota cincta est. Dona (fructus vel ova) basi imposita sunt, quae ipsa quoque taeniis est ornata. Quin his omnibus sepulcrum indicetur dubitari mea sententia non potest[1]). —

Sed jam ad figuras venio. Ante tumulum supra descriptum mulier stat capite corporisque parte superiore retrorsum rejectis, capillis in humeros defluentibus, pedibus nudis. Cum sinistram erigat sepulcrum vehementer alloqui videtur; facem flagrantem dextra demissa tenet. — Sustinetur a parva figura vestitu Phrygio induta, infra quam inscriptum est nomen *ΥΠΕΡΕΤΗΣ*. Ejus domina quae sit apertum est cum nemo agnoscere non possit *βακχεῖον κάρα τῆς θεσπιῳδοῦ Κασάνδρας*. Et nomen adhuc distincte infra legi mihi confirmavit Robertus.

---

[1]) Concedendum sane est columnas cum urnis impositis saepe ornamentorum instar in picturis Pomp. adhiberi, sed nunquam taeniis ornantur neque dona eis proponuntur.

Cassandram autem intentis oculis observant nonnullae figurae quae in sinistra tabulae parte conspiciuntur. — Helenam hic videmus, quae dextra protenta Priami filiam delirantem comitibus suis ostendit, quorum alter, Vlixes, chlamyde, pileo, calceis vestitus, sinistra Palladium tenet, dextra barbam corripit. Hoc gestu totiusque figurae habitu optime exprimitur qua cum animi intentione verba motusque Cassandrae observet. — Inter Helenam et Vlixem Diomedes aspicitur et ipse chlamyde calceisque vestitus, capite leonis exuviis ornato. Vterque heros, quantum quidem judicari potest, inermis est. Juxta Helenam serva ejus Attica astat Aethra. Omnes figurae nomina graecis litteris ascripta habent.

Expressus est igitur Palladii Trojani raptus. Apparet porro raptum jam perpetratum esse et in eo esse ut heroes abeant. Non dubito quin Palladium ex eo templo modo ereptum fuerit quod in parte posteriore conspicitur. Est igitur aedes Minervae Trojanae. Heroes signo rapto ad Helenam redierunt et nunc verba avide excipiunt quae Cassandra numine instincta profert. Haud dubium est quin ab ea minime conspecti fuerint. Ex face autem quam tenet Apollinis sacerdos noctem esse jure conjicias.

Quodsi nunc hanc miram picturam cum monumentis comparamus quae adhuc perlustravimus, magnam praebet similitudinem cum amphora Apula sub no. 5 descripta. Etenim primum illius quoque proprium est quod raptus efficitur adjuvante Helena. Locus scaenae deinde fere idem est, cum in utriusque picturae parte posteriore templum Minervae Poliadis conspiciatur. — Cave tamen ne his similitudinibus adductus sacerdotem fugientem amphorae Apulae Cassandram esse velis; nam — ne utriusque figurae dissimilitudines enumerem, — temporum momenta in duabus tabulis valde differunt: illic enim Palladium rapitur; hic jam rapto discedunt raptores. Etiam aliud discrimen est quod in vasculi pictura (ut in ceteris monumentis) signum a Diomede rapitur, in pictura pariet. autem ab Vlixe portatur. Quod tamen fortasse ex momentorum

discrimine explicandum est; nullum certe exstat monumentum in quo Vlixes signum e templo rapiat. — Si recte hoc se habet nihil jam obstat quominus ambae tabulae (quibus addenda est amphora sub no. 6 descripta) ad eandem fabulae versionem referantur in qua Helena Palladii raptoribus faverit. — Sed etiam cum alio vasculo haec pictura conferri potest, amphora musei Berolinensis (7), in qua ipsa quoque sepulcrum depictum est. Quamquam enim valde inter se differunt picturae, idem fortasse tumulus in utraque delineatur. Inde conjiciam — sed dubitanter tantum —, mulierem lugentem tabulae vascu-lariae Cassandram esse appellandam[1]).

17. In *nummo Romano* Galbae capite signato (Cohen I p. 245 no. 243), Vesta sedens exhibetur, d. protenta parvulum signum Minervae armatae ferens, quod Palladium Trojanum esse e scriptorum testimoniis discemus. Est hic nummorum Romanorum qui Palladium monstrant antiquissimus; an recte enim Eckhelius (Doctr. N. VI 150) nummum aeneum Pietatis capite ornatum Vestamque cum Palladio exhibentem jam Liviae temporibus cusum esse existimaverit dijudicare nequeo[2]). Inde a Galbae temporibus Palladium Trojanum saepius in nummis conspicitur. Plerumque a Vesta sedente, nonnunquam

[1]) Ad Palladii raptum pertinere non videtur altera pictura Pompejana (Mus. Borb. IX 33, Arch. Zeit. VII t. 7, Overbeck 30.12) etsi ad Dianae Tauricae raptum eam referendam esse mihi quidem persuadere Gerhardus (Arch. Z. l. c.) non potuit. Femina vittis et corona ornata in medio conspicitur adstante utrimque juvene imberbi (cf. 6). Mulier hermam tenet quae caput Minervae galeatum habet. Quodquod argumentum est, apparet ex anxia symmetria meram esse figurarum compositionem sine ulla actione. Cf. Helbig, Camp. Wandmal. no. 1336 b. Gerhardus jure cum hac pictura gemmam conjunxisse mihi videtur (Mus. Flor. II 31, 1. Arch. Zeit. VII t. 7) in qua mulier velata ante templum sedet, l. Palladium, d. facem demissam tenens. Astant iidem juvenes imberbes et hastis instructi. Etiam parva figura (sacerdotis?) in parte posteriore conspicitur. Nescio an is recte viderit qui Vestam Palladium ferentem una cum Dioscuris (Penatibus) agnoverit. Cf. nummos Romanos qui infra describentur.

[2]) Cf. Annali d. Inst. 1850 p. 201.

stante tenetur; in nonnullis denique in basi positum exhibetur ante quam libat sacerdos. Cum autem catalogum Preunerus jam dederit (Hestia-Vesta p. 326 Adn.), illos tantum nummos afferam qui publici juris facti sunt: n. Juliae, Cohen I t. XVII. Hadriani, Froehner Médaillons rom. p. 32. Sabinae, Cohen II t. VII no. 70, no. 26. Antonini Pii, Coh. III t. X. Faustinae, Froehner o. c. p. 76, p. 77. Vranii Antonini, Cohen Suppl. (Bd. VII) t. VI. — Palladium plerumque solito modo repraesentatur. Intercedunt tamen inter singulos nummos discrimina non parva, cum in alteris Minerva hastam vibrans magnumque incedens conspiciatur (Froehn. M. R. p. 76), in alteris hasta innitatur pedibus junctis (Cohen II t. VII no. 70, no. 26), quod discrimen et in gemmis supra descriptis occurrit. Nec mirum hoc quidem, cum sacrum signum, ut postea videbimus, Romae occultissimum teneretur.

Saeculi primi quoque est notissima illa

18. *Tabula Iliaca*

O. Jahn, Bilderchroniken t. 1, 2

in qua etiam Palladii raptus exprimitur ad Leschae fidem, siquidem inscriptioni fides habenda est. Ambo heroes e quadam muri porta evadere videntur; praecedit Diomedes (*ΔΙΟΜΗΔΗΣ*) qui citato gradu dextrorsum procedit; laeva manu erecta aliquid tenet quod Palladium esse nomine subscripto *ΠΑΛΛΑΣ* indicatur. Dextra sine dubio gladium tenet. — Sequitur Vlixes (*ΟΔΥΣΣΕΥΣ*) qui nondum totus evasit e porta satis humili. Minime igitur dubium esse potest mea quidem sententia quin et ipse in urbem penetraverit. Sinistro bracchio ingentem clipeum portat.

19. *Anaglyphum marmoreum Pal. Spadani*

Braun, 12 Basreliefs t. 4. Overbeck 24.23. Schreiber, Hell. Reliefbilder t. VII.

cujus magna pars instaurata est (vid. Schreiber t. VIIa). In parte posteriore magnum templum ornatissimum conspicitur, quod Minervae esse ex fastigii insignibus, Medusa, serpenet,

galea, perspicuum est. Ex hujus templi valvis apertis erumpit gradu citato Vlixes, exomide et chlamyde vestitus, sinistra protenta vaginam tenens ex qua gladium dextra educere videtur. Vultum iratus ad Diomedem vertit qui in sinistra ante templum placide stat. Ejus figura accuratissime refert typum statuae Monacensis (4). Qua re motus Michaelisius sine dubio recte judicavit Diomedem Palladium sinistro bracchio portavisse. Videtur etiam Vlixis figura ad notum artis plasticae typum expressa esse, nam occurrit simili fere motu et habitu in compluribus monumentis, inter quae signum est aeneum musei Vindobonensis (Clarac Pl. 832, 2089).[1] — Argumentum autem anaglyphi hoc esse videtur: Diomedes prior in templum Minervae penetravit atque signum abstulit. Vlixes, qui nescio qua re obstante retentus erat, postquam Palladium in templo frustra quaesivit, nunc ira effertur cum comitem simulacrum tenentem aspicit. Vides momentum effictum fere idem esse atque in amphora sub no. 5 commemorata.

Etiam in pasta antiqua repraesentationem illius simillimam exhiberi Braunius cognovit, qui eam edidit, 12 Basrel. p. 12[2]).

Ad saeculi II partem posteriorem pertinet

20. Anaglyphum marmorateum

in sepulcro viae Latinae repertum. Mon. d. Inst. VI 51 D.

Duae figurae ornamentis architectonicis disjunctae sunt, quas in archetypo artissime conjunctas fuisse apparet. — In sinistra Vlixes aspicitur, nudus et pileo ornatus. Laeva

---

[1]) In tabula Iliaca (18), in sarcophago Lycio (vid. infra 22), in sarc. Achillem Scyri exhibente (Robert, Sark. t. XX 39). Vtrum ad Palladii raptum exprimendum creatus sit typus ille an aliunde fluxerit nescio. Cum Diomedis signo Monacense certe neque signum Vindobonense supra commemoratum neque Venetiense (Clarac 831, 2088) conjungi possunt.

[2]) In pasta illius simillima, quam Millin II 5 edidit, fortasse delineatoris errore factum est ut mulier, non Vlixes, e foribus templi erumpens aspiciatur.

vaginam, dextra demissa gladium tenet quasi ad feriendum se pararet, subito tamen subsisteret capite paulo demisso. In dextra stat Diomedes, Palladium ferens, cujus figura ad statuae typum efficta est. — Vulnerati Philoctetis figura haud procul conspicitur.

Magnam cum hoc anaglypho similitudinem praebet

21. Lucerna fictilis mus. Salonensis.

Archäol.-ep. Mitteil. aus Öster. III 40.

Vlixis figura plane cum anaglyphi congruit nisi quod barbam laeva corripit; Diomedes quamquam a tergo conspicitur cum statuae typo concinit. Etsi autem Palladium, — sive Tydidis bracchio et chlamyde occultatur sive errore artificis neglectum est, — desideratur, Kleinius laudandus est qui hanc repraesentationem ad Palladii raptus fabulam retulerit.

Itaque et in hac lucerna et in anaglypho antea descripto heroes per campum ad castra Graecorum redeuntes exhibentur. Vidimus idem actionis momentum jam in vasculo saec. III a. Chr. n. expressum (9). Quid vero in his repraesentationibus heroes agant accuratius definiemus cum scriptorum testimonia examinaverimus.

22. Anaglyphum sarcophagi Lycii.

Mitteil. d. athen. Inst. 1877 t. XI. Robert, Sark. t. L.

Opus est saeculi secundi exeuntis.

Heroes ad dextram laevamque discedunt simili fere motu admiratione et terrore perculsi. Vtriusque oculi in Palladio defixi sunt, quod a Diomede in manu sinistra portatur. Manifestum est subitam heroum admirationem ipso simulacro motam esse, quod quidem momentum jam in vasculo Tarentino comicis figuris ornato (10) expressum vidimus. Accidit igitur aliquid quo allati heroes subito oculos in Palladium converterunt. — Vlixis figura fere in omnibus cum anaglypho Spadano congruit, nec dubium est quin a notissimo quodam archetypo

pendeat tota repraesentatio, cum etiam cetera anaglypha quibus sarcophagus ornatur nota reddant artis plasticae opera (Bellerophon cum Pegaso, Hercules Pane et satyro nixus, Victoria, de quibus vid. Robertum p. 146 sqq). — Vnius Diomedis figura etiam in duabus gemmis occurrit (Millin III 9 et 10).

Restat ut ultimo loco descriptionem apponam

23. Anaglyphi marmorei

Romae in templo Fortunae positi et Palladium Romanum exhibentis quae apud *Procopium* legitur (de bello goth. I. 15): *αὕτη δὲ ἡ ἐν τῷ λίθῳ εἰκὼν πολεμούσῃ τε καὶ τὸ δόρυ ἀνατεινούσῃ ἅτε ἐς συμβολὴν ἔοικε· ποδήρη δὲ καὶ ὥς† τὸν χιτῶνα ἔχει· τὸ δὲ πρόσωπον οὐ τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀγάλμασι τῆς Ἀθηνᾶς ἐμφερές ἐστι, ἀλλ' οἷα παντάπασι τὸ παλαιὸν Αἰγύπτιοι ἐποίουν.*

II.

Scriptorum testimonia.

Fusius quam mihi placebat descriptis jam operibus quae ad Palladium Trojanum pertinent, venio ad eam partem dissertationis meae qua scriptorum testimoniis congestis et excussis varias mythi versiones restituendas mihi sumpsi. Quo in opere saepe initium a monumentis faciam.

At priusquam hanc rem aggrediar, de Homero et Arctino pauca dicam.

§ 1. Homerus.

In carminibus homericis nulla invenitur »Palladii« commemoratio. Illud tantum comperimus Minervam Trojae patronam esse, atque ejus simulacrum fuisse in templo Pergami sito poeta libri sexti tradidit, qui Hecubam mulieresque Trojanae peplum

Heleno auctore huic signo ferentes inducit (Z 86—101, 269—311). Quod simulacrum a poeta sedens fingitur:

ἡ δ' ἄρα πέπλον ἑλοῦσα Θεανὼ καλλιπάρῃος
θῆκεν Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἠϋκόμοιο (302 sq.)

§ 2. Arctinus.

Sed jam apud Arctinum nova apparet fabula, — raptus dico. Res a Proclo grammatico non refertur, cum in ea Arctini poematis parte narrata fuerit, quae in cycli Troici argumentis coordinandis a grammaticis supprimebatur ut Leschae Ilias parva insereretur. Sed poetae qui vocatur cyclici narratio nobis apud *Dionysium Halicarnasensem* (I 69) servata est: *Ἀρκτῖνος δέ φησι ὑπὸ Διὸς δοθῆναι Δαρδάνῳ Παλλάδιον ἓν καὶ εἶναι τοῦτο ἐν Ἰλίῳ τέως ἡ πόλις ἡλίσκετο κεκρυμμένον ἐν ἀβάτῳ· εἰκόνα δ' ἐκείνου κατεσκευασμένην ὡς μηδὲν τῆς ἀρχετύπου διαφέρειν ἀπάτης τῶν ἐπιβουλευόντων ἕνεκεν ἐν φανερῷ τεθῆναι καὶ αὐτὴν Ἀχαιοὺς ἐπιβουλεύσαντας λαβεῖν.*

Illud primum in hac narratione respiciendum est, jam illis temporibus aliquid miri signo Minervae Trojanae apud Arctinum commemorato adhaesisse, quippe quod primo Trojanorum regi a Iove datum fuerit pignusque imperii aliquo modo haberetur cum tam sollicite in intimo arcis templo custodiretur.

Sed nunc jam quaeritur quo illud signum pretiosissimum pervenerit. — Trojae remansit, inquit Dionysius, in intimo penetrali dum urbs expugnata est. In hac ipsa autem urbis expugnatione Aiax, ut in *Procli* epitome legimus, Cassandram ab altaribus avellens, *συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον.* Nonne consentaneum est *ξόανον* illud nullum aliud esse nisi signum quod *Παλλάδιον* a Dionysio vocatur? Quid autem eo postea factum sit, utrum a Graecis una cum praeda ablatum an Trojanis conservatum fuerit, dici non potest.

Sed etiam alterum de Palladio apud Arctinum commemorato conjicere licet. Secundum enim traditionem, cujus vestigia sane primum apud Dionysium Hal. nobis occurrunt, unum e Palladiis (nam duo fuisse dicuntur) ab Aenea ex urbe incensa

servatum est. Quo loco fulsi conjecerunt homines docti genuinum illud Palladium de quo Arctinus loquebatur item ab Aenea servatum esse. Atque Dionysii totum locum accurate legenti dubium esse vix potest quin historico rem ita esse persuasum fuerit. Nam, cum Arctinum laudaret, traditionem ab antea commemorata (secundum quam Aeneas Palladium aufert) abhorrentem afferre noluit, sed eam nova potius auctoritate confirmare.

Dubito tamen num ex hoc aliquid certi concludendum sit. Videtur enim Dionysius ipse nescire quo Palladium secundum Arctinum postremo pervenerit; — nec mirum hoc quidem, cum quae de illo poeta epico refert fortasse non pleniora jam in auctore suo legerit. Afferent sane ei qui Palladium jam in Arctini poemate ab Aenea servatum esse contendunt etiam alterum ejusdem Dionysii locum: II 66 „. . *οἱ δέ τὸ διοπετὲς Παλλάδιον ἀποφαίνοντες εἶναι* (sc. Romae inter sacra Vestae), *τὸ παρ' Ἰλιεῦσι γενόμενον, ὡς Αἰνείου κομίσαντος αὐτὸ δι' ἐμπειρίαν, Ἀχαιῶν δὲ τὸ μίμημα αὐτοῦ λαβόντων κλοπῇ*. Vides enim eandem fabulae versionem esse quae antea (I 69) Arctino tribuebatur. — Attamen jam eo aliquid dubitationis affertur quod in Italiam Palladium ab Aenea apportatum esse poeta epicus certe non tradiderat. Huc accedit quod Arctinus narrabat signum Troiae mansisse dum urbs expugnata est; idem autem (quod ex *Procli* epitome comperimus) Aeneam ex urbe priusquam incenderetur discessisse tradebat. Tum illud fortasse non neglegendum est, in nullo vase picto Aeneam exhiberi Palladium ferentem.

His expositis quid judicandum sit difficile est dicere. Liceat igitur rem in medio relinquere dum ceteris testimoniis perlustratis aliquid fortasse nanciscamur quo alterutra sententia comprobetur.

Vtcumque res se habet, sive apud Arctinum duo (vel potius tria: Aeneae, Cassandrae, *εἰκών*) signa Minervae Trojanae commemorata fuerunt sive unum, — constat jam Arctino raptus fabulam aliunde notam fuisse: Achivi, ut Dionysii

narrationem sequamur, simulacrum Minervae falsum audacter ex urbe abstulerunt. Quo modo autem raptum fuerit, cum testimonia plane desint, conjicere non licet. Hoc tantum suspicari possumus, raptoribus quippe qui deciperentur falsamque imaginem reportarent simulacrum a nullo proditore ostentum vel oblatum fuisse. Celeriter noctu expeditio perfecta est.

Sed jam quaeritur unde novam illam fabellam poeta sumpserit; nam eum raptus narrationem de suo finxisse nemo est qui credat. Cui quaestioni ut satisfaciamus necesse est omnes fabulas quae ad Palladium spectant perlustremus.

§ 3. Fabulae Athenienses.[1])

Monumentum antiquissimum ex iis quae restant Athenis confectum est; patera est illa quae Hieronis nomen inscriptum habet, opus saeculi quinti ineuntis. E qua discimus jam illis temporibus fabulas quasdam ad Palladium pertinentes Athenis vulgatas esse. Exstant autem de his Atheniensibus fabulis nonnulla apud scriptores testimonia e quibus illud primum elucet, Athenienses se signum Trojanum possidere contendisse.

Quae dixi testimonia omnia apud lexicographos infimae aetatis (Hesych., Et. M.. Suid., Apost., Eust.) leguntur, qui opera antiquiora (Harpocrat., Pausaniae lex.) excerpserunt. Hi vero quin sua e commentatoribus ad oratores Atticos sumpserint, qui ipsi ex atthidographis hauserint, nemini accuratius inspicienti dubium esse poterit.

Tres exstant illius fabulae traditiones paulum diversae.

1. Ea quae antiquissima videtur esse *Clitodemum* auctorem habet, qui scriptor vix quinquaginta annis post Hieronem pictorem floruit. Narratio memoriae tradita est ab Harpocratione (*ἐπὶ Παλλαδίῳ*), scriptore Etym. Magni (*ἐπὶ Π.*), Suida (*ἐπὶ Π.*),

---

[1]) Encycl. v. Ersch u. Gruber, Palladion (Schneidewin). C O. Müller, Kl. Schriften II 134 sqq. Mommsen, Heortologie 429 sqq. O. Jahn, de antiq. Minervae sim. atticis 1866, 18 sqq. Roscher, Myth. Lex. Athena. Toepffer, Att. Geneal. 145 sqq.

Apostolio (VI 34), Eustathio (p. 1419). — Et. Mag., Suidas, Apostolius, Eust. cum ad verbum consentiant, eundem sine dubio auctorem excerpserunt; quem Pausaniam in Lexico fuisse ex nonnullis Eustathii verbis apparet (. . *ἐδίκαζον δὲ κατὰ Παυσανίαν* . . .).[1] Atque Pausaniam narrationem suam verbis *Κλειτόδημός φησι* . . incepisse ex quattuor ejus exceptorum consensu constat. Harpocratio autem, qui narrationi ipsi pauca verba de tribunali *ἐπὶ Παλλαδίῳ* praemittit, hic Aristotelem laudat *ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ*. Qua commemoratione proxima tantum verba respici papyro nuper edita (p. 144) comprobatur; narratio ipsa Palladii a Demophonte rapti, quae fere ad verbum cum Pausaniae descriptione consentit, ad Clitodemum haud dubie referenda est. Verba ejus affero: *Ἀγαμέμνονος μετὰ τῶν Ἀργείων σὺν τῷ Παλλαδίῳ προσενεχθέντος Ἀθήναις ἐξ Ἰλίου, Δημοφῶν ἁρπάζει τὸ Παλλάδιον καὶ πολλοὺς τῶν διωκόντων ἀναιρεῖ. Ἀγαμέμνων δὲ δυσχεράνας δίκην τοῦ ἁρπάσαντος ἀπαιτεῖ καὶ συνίσταται τὸ δικαστήριον κ. τ. λ.* Palladium igitur habet Agamemnon; quod cum secum domum reportaret a Demophonte spoliatur. Maximum pondus huic testimonio tribuendum est: nam quam remotis temporibus narratio orta sit mox videbimus.

2. Varie tamen quo modo Palladium Athenas allatum fuerit narrabatur. Etenim quae a priore valde differt traditio nobis a scholiasta in Aeschinem (de fals. leg. § 87. Sauppe Or. att. II. p. 32), Polluce (VIII. 118), Hesychio (s. v. *ἀγνῶτες*),[2] Suida, Apostolio, Eustathio ll. cc. servata est. — Suidam, Apostolium, Eustathium lexico Pausaniae sua debere vidimus; quod lexicon, cum in priore narratione auctorem suum nominasset, fontem quoque laudasse verisimile est ex quo hanc alteram fabulam sumpserit. Et profecto a Suida et Apostolio *Phanodemus* nominatur. Quin autem ex eodem fonte fluxerint et Pollucis et scholiastae narrationes nemo qui eas legerit du-

[1]) Dindorfius ad Harpocr. l. c.: „Suidas glossam suam haud dubie ex Photii lexico sumpsit, ubi incidit in lacunam cod. Galeani. Photius autem sua debuit Pausaniae lexico."

[2]) De hac Hesychii glossa mutilata vide Maur. Schmidt in editione.

bitabit. Atthidographi igitur narratio fere haec erat (Schol. Aeschin.) *Ἀργεῖοι τὸ Παλλάδιον ἔχοντες τὸ ἐξ Ἰλίου καὶ ἀπὸ Τροίας ἀνακομιζόμενοι ὡρμίσαντο Φαληροῖ, καὶ αὐτοὺς τῶν ἐγχωρίων τινὲς ἀκουσίως ἀναιροῦσι. μενόντων δὲ ἐπὶ πολὺν χρόνον τῶν νεκρῶν ἀδιαφθόρων καὶ ἀψαύστων ὑπὸ θηρίων, πολυπραγμονήσαντες οἱ ἐγχώριοι ἔγνωσαν παρ' Ἀκάμαντος ὅτι Ἀργεῖοι ἦσαν, καὶ τὸ Παλλάδιον εὑρόντες ἱδρύσαντό τε παρὰ τῇ Ἀθηνᾷ τῇ Φαληροῖ, καὶ τοὺς νεκροὺς θάψαντες δικαστήριον ἐποίησαν ἐκεῖ τοῖς ἐπὶ ἀκουσίῳ φόνῳ φεύγουσιν.* Pollux haec praebet l. c.: *καὶ οἱ μὲν ταφέντες ἀγνῶτες προσηγορεύθησαν τοῦ θεοῦ χρήσαντος, αὐτόθι δ' ἱδρύθη τὸ Παλλάδιον.*

Videtur in hac narratione dubitatio quaedam personarum inesse; mirum est imprimis Demophontem non nominari, cum hic heros primus *ἐπί Παλλαδίῳ* accusatus fuisse per omnes fabulas reperiatur (vid. Paus. I 28.9: *καὶ ὅτι μὲν Δημοφῶν πρῶτος ἐνταῦθα ὑπεσχε δίκας ἀμφισβητοῦσι οὐδένες*). — Interfectorum corpora Palladio inter ea jacente a corruptione servata fuisse nullo alio loco legitur.

3. Itaque cum Phanodemi narratio singularem locum obtineat, tertia magnam cum Clitodemi similitudinem praebet. Legitur apud *Pausaniam* periegetam (I 28.9), quocum congruit *anecdoton* a Bekkero editum (Anecd. graec. I. p. 311). Interest inter hanc et Clitodemi narrationem hoc maximum discrimen, quod Palladium non jam ab Agamemnone sed a Diomede Troja redeunte apportatur. Simulacrum autem ita ut in prima versione a Demophonte pugna noctu rapitur, qui nonnullis Argivis quos quidem non agnosceret interfectis ad urbem fugit.[1] —

[1]) Pausanias etiam hoc addit, a Demophontis equis hominem Atheniensem tritum esse; *ἐπὶ τούτῳ Δημοφῶντα ὑποσχεῖν δίκας, οἱ μὲν τοῦ συμπατηθέντος τοῖς προσήκουσιν, οἱ δὲ Ἀργείων φασί τῷ κοινῷ.* Non dubito quin hoc momentum nihil ad Palladii fabulam attineat atque aliunde in eam fluxerit; nec prorsus veri dissimile mihi videtur reliquias esse narrationis qua judicii origo illustraretur antequam Palladii Trojani a Demophonte rapti fabula exstaret.

Scholiasta in Aristidem rhetorem qui nonnulla verba de eadem fabula facit (ed. Frommel p. 102 sq.)[1]) auctorem laudat Lysiam *ἐν τῷ ὑπὲρ Σωκράτους πρὸς Πολυκράτην λόγῳ*.

Jam animadvertisti omnes quas perlustravimus fabulas ad originem judicii illius clarissimi *ἐπὶ Παλλαδίῳ* quod dicebatur spectare, quo de interfectoribus insciis judicabant ephetae.[2]) Ex quam remota autem antiquitate judicia illa Atheniensia quibus de caede judicabatur originem suam ducebant satis notum est. Consentaneum est igitur fabulas quoque perantiquas esse quae illorum institutionem illustrabant. Et re vera quod Atrides vel Tydides, cum Troja reversus ad Atticam appellat, a Demophonte oppugnatur neque cognoscitur, hoc satis quantum quidem video ostenditur Theseidas illis temporibus quibus fabula orta est in numerum eorum nondum receptos esse, qui bello Trojano interfuerunt.

Narrationes igitur quas postea atthidographi collegerunt, antequam Arctini et Leschae poemata conscriberentur, natae sunt.

Quamquam autem antiquae fabulae, quae Palladium apud Phalerum portum Argivis ereptum fuisse narrabant, non interierunt postquam Demophon in cyclum Troicum receptus est, — aptius tamen erat rem ad Trojam transportare. Atque fabularum Atheniensium hoc modo commutatarum duo exstant testes.

Primus est *Polyaenus* apud quem legimus haec (Strategicon, ed. Woelfflin I, 5): *Δημοφῶν παρὰ Διομήδους τὸ Παλλάδιον παρακαταθήκην λαβὼν ἐφύλαττεν. Ἀγαμέμνονος ἀπαιτοῦντος τὸ μὲν ἀληθινὸν ἔδωκεν ἀνδρὶ Ἀθηναίῳ καλουμένῳ Βουζύγῃ κομίζειν Ἀθήναζε· ἴσον δὲ καὶ ὅμοιον ἄλλο κατασκευάσας εἶχεν ἐπὶ τῆς σκηνῆς. Ἀγαμέμνονος δὲ σὺν πολλῇ χειρὶ ἐπελθόντος ἀπεμάχετο ἐπὶ μακρὸν,*

---

[1]) *τὸ Παλλάδιον τὸ ἀπὸ Τροίας· ὁ γὰρ Δημόφιλος παρὰ Διομήδους ἁρπάσας εἰς τὴν πόλιν ἤγαγεν.*

[2]) vid. Meier u. Schœmann, D. att. Prozess. ed. Lipsius p. 11.

δόξαν ἐμποιῶν ὡς ὑπὲρ τοῦ ἀληθινοῦ προκινδυνεύοι. Πολλῶν δὲ τραυματιῶν γενομένων οἱ μὲν ἀμφὶ Δημοφῶντα ὑπεῖξαν, Ἀγαμέμνων δὲ τὸ παραπεποιημένον Παλλάδιον λαβὼν ἐξαπατηθεὶς ᾤχετο. Et Agamemnon igitur et Diomedes partes in hac narratione suscipiunt. Vt aliis locis ita hic quoque acriter inter Argivos et Athenienses de Palladio dimicatum esse traditur; sed cum ceteri narrent Argivos omnino simulacro spoliatos esse, hic Agamemnon falso quodam signo potitur quod haud dubie postea Argos secum tulisse ac ibi consecravisse dicebatur.

Alter testis est *Hiero*, paterae quam supra descripsimus pictor. Apparet enim hanc picturam ad nullam fabulae versionem esse referendam quam memoriae tradiderunt scriptores. Conabor igitur ejus argumentum restituere ceteris fretus fabulis Atheniensibus supra enarratis; at primum fateor non prorsus certa, sed probabilia tantum hic pro ferri. Vt apud Polyaenum, sic in hac patera res in castris Graecorum ad Trojam positis aguntur atque duo sunt Palladia. Ex hac similitudine fortasse conjicere licet in vasculi quoque pictura alterum verum ac genuinum esse, alterum falsum. Maximum sane discrimen est hic utrumque signum Troja ereptum fuisse, attamen quam protulimus conjectura etiam altero argumento comprobatur. Animadvertisti enim unum quidem omnium traditionum Atheniensium quae ceterum diversissimae sunt proprium esse: Argivos Minervae signo spoliari, ita ut eis aut plane nihil aut falsa tantum imago relinquatur, genuinum autem simulacrum Athenas deportetur. — Quod si recte se habet, libenter credam genuinum Palladium in hoc vasculo ab Vlixe portari (respice etiam quae in vasculo explicando de hac re protulimus p. 3). Cum enim lentius in Thesidam obstantem (quem Palladium reflagitare suspicati sumus) irruere videatur, fortasse brevi eo adduci poterit ut signum ei tradat. Diomedes autem qui tam vehementer Demophontem repellit signum suum haud dubie retinebit atque Argos transferet, sed falsum signum hic quidem consecrabit.

Cum ad scriptores redimus, plane nihil apud eos legimus de duobus Palladiis a Diomede et Vlixe ereptis nisi haec verba brevissima quae inter suas nugas fecit *Ptolemaeus Hephaestio* (apud Phot. p. 148 Bekk.): *περὶ τοῦ Παλλαδίου, ὅτι δύο κλέψειαν Διομήδης καὶ Ὀδυσσεύς*; ex quibus illud tantum elicias, hanc traditionem Ptolemaei temporibus fere in oblivionem venisse.

De Demophonte Palladium obtinente etiam aliud testimonium in litteris exstat apud Clementem Alexandrinum (Protr. IV 47) qui se sua ex *Dionysio ἐν πέμπτῳ μέρει τοῦ κύκλου* hausisse affirmat: . . *τὸ Παλλάδιον τὸ διοπετὲς καλούμενον, ὃ Διομήδης καὶ Ὀδυσσεὺς ἱστοροῦνται μὲν ὑφελέσθαι ἀπὸ Ἰλίου, παρακαταθέσθαι δὲ Δημοφῶντι.* Quibuscum cf. Polyaeni verba: *Δημοφῶν παρὰ Διομήδους τὸ Π. παρακαταθήκην λαβὼν* . . . Sed diligentius de hoc testimonio infra disputabo.

Athenienses se Palladium Trojanum accepisse gloriabantur, vel potius antiqui cujusdam palladii quod in ipsorum urbe stabat originem remota jam in antiquitate a Troja repetierunt. Fictionibus perlustratis quibus id Athenas pervenisse narrabatur jam de hoc ipso Palladio quaeram atque de cultu qui ei adhibebatur.

Ephetae cum de caede inscia judicabant juxta fanum sedisse in quo signum Trojanum servabatur supra vidimus. In titulo autem in quo exhibentur rationes pecuniarum a. 433 — 423 ad belli usus e deorum thesauris sumptarum, mentio invenitur *Ἀθηναίας ἐπὶ Παλλαδίῳ*, quod nomen supra plenius legitur *Ἀθ]ηναίας ἐπὶ Παλλαδίῳ Δηριον[εί]ῳ.* (CIA I 273 e f). — In aliis titulis *Ζεὺς ἐπὶ Παλλαδίῳ* nominatur cujus sacerdos sellam obtinebat in theatro Bacchi (CIA III 273: *Βουζύγου ἱερέως Διὸς ἐν Παλλαδίῳ.* CIA I 71: *ἱερ]εὺς τοῦ Διὸς τοῦ ἐπὶ Παλλαδίου* . .) In primo autem titulo illud sacrum Minervae significari juxta quod judicium habebatur manifestum est; atque Jovem in eodem fano una cum filia cultum fuisse primum ex epitheto, deinde ex eo elucet quod ejus sacerdotes hereditario jure Buzygae erant. Discimus enim e titulo supra commemorato

(CIA I 71) Buzygam quemdam, qui Jovis erat sacerdos, novum simulacrum Palladis suis impensis ex oraculo deis et urbi consecrasse; ex quo conjicias Buzygas Palladis quoque sacerdotes fuisse. Concinit narratio apud Polyaenum l. c. servata in qua Demophon Palladium tradit ἀνδρὶ Ἀθηναίῳ καλουμένῳ Βουζύγῃ κομίζειν Ἀθήναζε.

Si jam ea complectimur quae ex his testimoniis elucent videmus Jovem et Minervam una in fano cultos fuisse apud quod tribunal habebatur de interfectoribus insciis[1]). Quem quidem cultum remota in antiquitate exstitisse ex connexione cum judicio atque ex eo apparet, quod sacerdotium hereditario jure Buzygarum gentis antiquissimae erat. Hujus igitur Minervae simulacri origo a Troja repetebatur.

De situ ejus saepti nihil certi proferri potest, cum perpauca tantum de hoc exstent testimonia eaque inter se discrepantia. Etenim ex Phanodemi narratione (vide supra sub no. 2) elucere videtur Palladium Phaleri ac loco ipso quo inter Argivorum cadavera repertum est consecratum fuisse (ἱδρύσαντο παρὰ τῇ Ἀθηνᾷ τῇ Φαληροῖ). Pollux autem (quocum Hesychius s. v. consentit) addit Argivos, postquam sepulti sunt, ex oraculo Ἀγνῶτες esse appellatos, ibique (αὐτόθι) Palladium dedicatum esse. Valde ab his abhorrent Pausanias et anecd. Bekkeri, cum Demophontem cum Palladio curru Phalero ad urbem fugisse tradant; quibuscum conspirant quae ex Clitodemo apud Plut. Thes. 27 referuntur, ubi Palladion una cum Ardetto et Lycio nominatur, ex quo conjecerunt

[1]) Vid. Preller-Robert, G. M. I, 131, 145 sq., 150 adn.: Jupiter δικαιόσυνος, τιμωρός, ἀλάστωρ, ἱκέτης, καθάρσιος, μειλίχιος, ad cujus aram Theseus post praedonum caedem a Phytalidis lustratus est. Atque eodem modo Jovis ἐπὶ Παλλαδίῳ cultus haud dubie a Demophonte, postquam caedis insciae purificatus est, constitutus esse ferebatur. — De necessitudine quae Athenis inter Minervam et legum custodiam fuerit atque de Minerva cum Areo pago connexa Starkerus (de nomophylacibus ath. p. 16) disputavit. — Jovis autem et Minervae cultum apud Athenienses saepissime conjunctum fuisse omnibus notum.

id potius ad Ilissum ac fortasse prope ad Delphinium situm fuisse, quod magnas cum Palladio similitudines habet[1]).

Quodsi igitur de situ templi quo Palladium Trojanum Athenis continebatur nihil pro certo dicere licet, etiam de ejus festo conjecturae tantum proferri possunt.

Atque primum nescio an A. Mommsenus (Heort. p. 429) jure conjecerit diem anniversarium templi Palladii in id anni tempus incidisse quo Troja capta esse ferebatur, i. e. in ὀγδόην vel ἑβδόμην φθίνοντος Θαργηλιῶνος μηνός, quibus diebus Athenis Plynteria celebrabantur.

Apud Photium deinde leguntur haec (s. v. νομοφύλακες) οἱ δὲ νομοφύλακες . . . καὶ τῇ Παλλάδι τὴν πομπὴν ἐκόσμουν, ὅτε κομίζοιτο τὸ ξόανον ἐπὶ τὴν θάλασσαν; quibuscum conf. lex Cantabr. s. v. et Pollucem VIII 94 qui ex eodem auctore sua sumpserunt[2]). Vix dubitant autem homines docti quin cum Photii glossa nonnullae inscriptiones ephebicae conjungendae sint e quibus plura de hac pompa comperimus: CIA II 469: συνεξήγαγον δὲ (sc. ephebi) καὶ τὴν Παλλάδα Φαληροῖ κἀκεῖθεν πάλιν συνεισήγαγον μετὰ φωτός. — CIA II 470: συνεξήγαγον δὲ καὶ τὴν Παλλάδα μετὰ τῶν γεννητῶν καὶ πάλιν εἰσήγαγον μετὰ πάσης εὐκοσμίας. CIA II 471.

Ad quod vero Palladis ξόανον haec testimonia referenda sint adhuc inter viros doctos minime constat, cum alii Minervam Poliadem atque Plynteria[3]) sive Oschophoria[4]), alii »Palladium« [5]) intellegenda esse existimaverint. Atque Plynteriorum festo pompam quandam factam esse Photius (ἡγητηρία), Hesychius (s. v.), Etym. M. p. 418,49 docent; — sed ad mare eam deductam esse minime constat, cum quae A. Mommsenus

[1]) Cf. Wachsmuth, D. Stadt Athen I 393 sq. Et apud Delphinium judicium erat quod instituisse Theseus dicebatur. De Clitodemi loco supra commemorato vid. Wachsm., D. St. A. I 447 sq. Duncker, G. d. A. V 454.

[2]) Starker, de nomophylacibus ath. Bresl. 1880. 18 sqq.

[3]) Mommsen, Heort. 429 sqq. Starker l. c. Toepffer, Att. Gen. 135.

[4]) Dittenberger, de eph. att. 63. Dumont, l'éphébie attique, 283.

[5]) Petersen, Feste d. Pallas 12. Jahn, de antiq. M. simul. att. 21 sq.

(Heort. 431) e loco Xenophonteo (Hell. I, 4, 12) se elicuisse sibi persuasit mihi quidem non recta videantur. Atque supra vidimus Palladii festum fortasse ipsis Plynteriis celebratum esse.

Proinde argumenta inspiciamus quibus Petersenus et Jahnius adducti hanc pompam ad Palladium Troja apportatum retulerunt. — Atque primum Petersenus nomophylaces qui pompam instruxisse dicuntur cum Minerva apud iudicium *ἐπὶ Παλλαδίῳ* culta potius quam cum Poliade connexos fuisse putavit. Nec prave judicavit; nam post eum Starkerus (l. c. 16) loco ex lex. Cantabr. allato ostendit »nomophylaces sacerdotali quodam munere in Areo pago functos esse, quod ad cultum Minervae pertineat«. Artissime autem conjuncta erant inter se Areus pagus et judicium *ἐπὶ Παλλαδίῳ* atque necessitudo quaedam intercessisse videtur inter nomophylaces et cultum illius Minervae quae Athenis legum custodiae praeerat.

Jahnius deinde »Palladis« nomen ad Poliadem referri posse negavit; atque suo jure ostendit quam bene convenerit Palladium quotannis in eodem maris litore purgari, in quo a Demophonte cruentis manibus pugna captum esse ferebatur.

Etiam hoc addi potest, sicut Palladium Phaleri noctu raptum erat, sic partem certe caerimoniarum de quibus agitur noctu perfectam esse (*πάλιν συνεισήγαγον μετὰ φωτός*). Videbimus denique et Argis Palladium quod Troja avectum esse narrabatur simili modo quotannis pompa ad Inachum delatum ibique lustratum esse.

Quamquam igitur concedo nullo argumento allato quidquam certi effici Photiique verbis »*τὸ ξόανον*« facilius notissimum illud Minervae signum significari, quod in Erechtheo servabatur, — tamen pompam cum Jahnio ad Palladium referre malo sive Plynteriis sive alio die festo deducta est.

Quae sententia si recte se habet, gennetae qui in altera inscriptione commemorantur procul dubio Buzygae intellegendi

sunt, atque apparet ex verbis *συνεξήγαγον* et *συνεισήγαγον* Palladion intra urbis fines situm fuisse.

§ 4. Argos.

Argivos se Palladium Trojanum possidere contendisse diserte a primo *Pausania* traditur (II 23.5): *λέγουσι γὰρ Ἀργεῖοι . . καὶ ἄγαλμα κεῖσθαι παρά σφισιν τὸ ἐκκομισθὲν ἐξ Ἰλίου καὶ ἁλῶναι ποιῆσαν Ἴλιον.* Sed in prima hujus dissertationis parte *nummos* Argivorum descripsi qui vel Palladium in templo quodam stans vel Diomedem signum Trojanum ferentem monstrant, ex quibus nonnulli jam saeculo quarto cusi fuerunt. Quid? quod fabulae illae Athenienses de quarum aetate antiqua supra diximus Palladii possessionem semper ad Argivos referunt? Ab Argivorum enim ducibus, tum Agamemnone, tum Diomede, signum Troia in urbem suam reportari narrabant. Quo facto satis indicari mihi videtur fabulas Athenienses ex Argivis fictas esse atque ex eis illustrari posse. — Sequitur ut Argivi etiam antiquioribus temporibus Palladium se possidere contenderint; — atque haec sententia etiam alio argumento confirmari potest. — Videbimus enim secundum omnes traditiones, quamvis de ceteris rebus maxime discrepent, primas in Palladio rapiendo partes Diomedi heroi Argivo tribui; — ex quo apparet quantum ad illas fabulas fingendas valuerint Argivi.

Sed jam inquiramus ubi Argis steterit simulacrum Minervae quod Trojanum esse credebatur.

In nummo Argivo Antonini Pii capite signato (J. of hell. Stud. 1885 t. 54.42) Palladium in parvo templo stans exhibetur, quod in summo colle aspero et abrupto situm est[1]. Pausanias vero qui paulo ante obiter de Palladio Argivo locutus erat (v. supra), cum viam ad Larisam ducentem describit dicit haec (II 24.2): *τοῦ Δειραδιώτου δὲ Ἀπόλλωνος ἔχεται μὲν ἱερὸν Ἀθηνᾶς Ὀξυδερκοῦς καλουμένης, Διομήδους ἀνάθημα.* Nonne con-

1) De aliis nummis similibus nondum editis vid. Mionnet. Suppl. IV p. 236 sqq. no. 95, 106.

sentaneum est Palladium in hoc templo stetisse, cum et ipsum a Diomede Argos allatum esse traderetur? At Pausanias ita pergit (II 24.4): *ἐπ' ἄκρᾳ δέ ἐστι τῇ Λαρίσῃ Διὸς ἐπίκλησιν Λαρισαίου ναός . . . καὶ Ἀθηνᾶς δὲ ναός ἐστι θέας ἄξιος*, cui quidem Minervae »Acria« cognomen fuisse videtur[1]). Palladium in hac potius aede stetisse fortasse quispiam existimaverit nummo supra commemorato motus, in quo templum in summa quadam rupe eminere videtur. Accedit quod in templo Minervae Acriae etiam aliud simulacrum Troja apportatum ostendebatur, Jovis Hercei Laomedontis[2]). — Attamen nummo in hac re dijudicanda non nimis tribuendum esse puto, cum in nummis omnino aedes superiore loco posita hoc modo exhiberi soleat atque templum quoque Minervae Oxydercis quod in Deirade stabat sic repraesentari potuerit.

Sed res in majorem incurrit difficultatem. Minime enim apparet quo modo testimonia jam allata cum eis quae apud *Callimachum*, in hymno *εἰς λοῦτρα τῆς Παλλάδος* leguntur, concilianda sint; — quo in carmine caerimoniae describuntur quibus Argivi signum quoddam Palladis colere solerent. Quamquam autem »Palladii« nomen a Callimacho in hymno nusquam enuntiatum est, dubitari vix potest quin de simulacro ipso agatur cujus originem vulgo a Troja repetebant Argivi. Id enim vel ex eo elucet quod Argivi una cum hoc signo Diomedis scutum et colere et circumferre solebant, ut Callimachus ipse (v. 35 sq.) tradit. Tum in hymni versibus 37—42 fabula commemoratur quam ad Palladium Trojanum pertinere ex aliis testimoniis constat (Schol. ad l. et Ps. Plutarch. in l. qui infra laudatur). Scholiasta denique (ad v. 37. ed. Spanh.) simulacrum de quo apud Callimachum agitur Palladion appellat.

Callimachus autem in versibus supra allatis (37—42)

---

1) Hesych., s. v. *Ἀκρία*. In hoc templo erat Acrisii sepulcrum: Clem. Alex. Pr. III § 45. Arnobius adv. nat. ed. Reiffersch. p. 218. De Junone *Ἀκραία*, v. Paus. II 24.1.

2) Paus. l. c. Cf. de tota re Percy Gardner a. Imhoof-Blumer, a Numism. Commentary to Pausanias, Journ. of hell. Stud. 1885 p. 88.

narrat signum ab Eumede quodam sacerdote e templo suo raptum esse, qui mortem a populo nescio qua de causa[1]) sibì paratam fugeret, — atque in colle constitutum esse abrupto, qui antea *Κρεῖον ὄρος* dictus inde vero *πέτραι Παλλατίδες* nominatus fuerit. — In scholio ad l. traduntur haec temporibus evenisse quibus Argos ab Heraclidis obsidebatur. Eadem fere narratio reperitur in *Ps. Plutarchi quaest. Graecis* (48), in quibus Palladium Argivum postremo Spartam translatum esse legitur. Sed quae fides huic insulso libello habenda sit nemo ignorat[2]).

Quaeritur nunc num ex his testimoniis colligendum sit Palladium Trojanum minime in arce Argivorum esse servatum, atque potius *Κρεῖον ὄρος* collem illum abruptum esse qui in nummis supra enumeratis exhibetur. Tam sanctum tamen simulacrum extra urbem conservatum esse mihi persuadere vix possum; ex Callimachi autem hymno ipso apparet caerimonias quae ibi describuntur in urbe agi; — atque Pausaniae verbis s. l. Palladium in urbe stetisse significari videtur. Itaque narrabatur si conjectura uti licet Palladium urbe ab Heraclidis capta rursus in arcem translatum esse[3]).

Sed jam ad cultum venio qui Argis Palladio tribuebatur. Atque hoc primum commemoratione dignum est Diomedis scutum diebus festis una cum sacro signo circum-

---

[1]) Schol. ad l. *Εὐμήδης ἱερεὺς τῆς Ἀθηνᾶς ὑπενοήθη ὑπὸ τῶν Ἀργείων ὡς βουλόμενος προδοῦναι τὸ Παλλάδιον τοῖς Ἡρακλείδαις.*

[2]) Textum appono: *Ἐργίαιος, εἷς τῶν Διομήδους ἀπογόνων, ὑπὸ Τημενοῦ πεισθεὶς ἐξέκλεψε τὸ Παλλάδιον ἐξ Ἄργους, συνειδότος Λεάργου καὶ συνεκκλέπτοντος· ἦν δ' οὗτος εἷς τῶν Τημενοῦ συνήθων· ὕστερον δὲ τῷ Τημενῷ γενόμενος δι' ὀργῆς ὁ Λέαργος εἰς Λακεδαίμονα μετέστη τὸ Παλλάδιον κομίζων.* Quae narratio plus minusve raptui a Diomede perpetrato respondet; atque videtur Argos expugnari non potuisse nisi Palladio ante ablato. Nescio an ex primis verbis colligendum sit Palladii sacerdotio Diomedis posteros functos esse.

[3]) Videtur huc pertinere etiam Ps. Plutarchi de fluviis 18,12.

latum esse (Call. v. 35 et schol. ad l.[1]). Tum a Callimacho depingitur quibus caerimoniis virgines Argivae signum Minervae curru impositum ad Inachum tulerint, vestibus exuerint, laverint, oleo unxerint. — Cum hanc pompam instruerent imprimis *παρθενικαὶ μεγάλων παῖδες Ἀρεστοριδᾶν* (v. 34), videntur matronae quae *Γεραράδες* vocabantur simulacro post lustrationem rursus vestem induisse (*Bekk. anecd. gr.* I p. 231). Quae quidem caerimoniae a Callimacho *ἔθος Ἀργείων παλαιότερον* appellantur. — Fortasse eandem Minervam respicit *Statius* (Theb. II 251 sqq.), qui dicit virgines Argivas cum nuberent comas suas Palladi devovere solitas esse quae in Larisa colebatur.

Videtur tamen praecipue ut dea bellicosa culta fuisse, cum Callimachus haec epitheta ei tribuat: *περσέπτολις, χρυσεοπήληξ, ἵππων καὶ σακέων ἁδομένα πατάγῳ* (43 sqq.), *Παλλὰς ἡ πολιᾶχος* (53); atque dicat (v. v. 5—12, 23—30) deae simulacrum eodem modo quotannis solemniter lavari quo ipsa Minerva post pugnam sese purificare soleret.

Quam bene autem haec cum »Palladio« conveniant, quippe quod deam armatam repraesentaret, quis est quin videat?

Restat ut denique commemorem interdictum esse ne vir statuam Minervae Argivae vestibus exutam (*γυμνὰν τὴν Παλλάδα*) conspiceret. Vulgo credebatur caecitate ille affici qui eam vidisset (Call. 51 sqq).

Testimoniis nobis perlustratis quae ad cultum Palladii Argivi referenda esse videntur, quaeritur quo modo signum Trojanum in Argivorum manus devenisse narraretur.

E fabulis autem Atheniensibus elucere videtur sacri signi possessionem primum ad Agamemnonem ab Argivis relatam esse; cum tamen nihil amplius de hac fabula a veteribus scriptoribus traditum sit, in tertia potius commentationis parte de ea dicam.

---

[1]) Scholii verba cum Klausenio (Aeneas u. d. Pen. II 1201) sic constituo: . . *τὸ ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς καὶ τὸ Διομήδους* <*σάκος*>.

Plerumque credebatur Palladium Argos a Diomede allatum esse. Si autem quaerimus quo casu simulacrum Trojanum in ejus manus venerit, ad fabulam quandam a Lescha in parva Iliade tractatam adducimur, cujus narrationem restituere nunc conabor.

§ 5. Ilias parva.

Initium a *Cononis*, mythographi saec. I a. Chr. n., narratione 34 capiam, cujus pars posterior haec est (Konon, ed. Ulrich Hoefer, Greifsw. 1890): *στέλλονται οὖν ἐπὶ τῇ κλοπῇ τοῦ Παλλαδίου Διομήδης καὶ Ὀδυσσεὺς, καὶ ἀναβαίνέι ἐπὶ τοῦ τείχους Διομήδης, ἐπιβὰς τῶν ὤμων Ὀδυσσέως· ὁ δὲ οὐκ ἀνελκύσας Ὀδυσσέα, καίτοι τὰς χεῖρας ὀρέγοντα, ᾔει ἐπὶ τὸ Παλλάδιον καὶ ἀφελόμενος αὐτὸ πρὸς Ὀδυσσέα ἔχων ὑπέστρεφε. καὶ διὰ τοῦ πεδίου κατιόντων πυνθανομένῳ ἕκαστα τῷ Ὀδυσσεῖ Διομήδης τὸ δόλιον τἀνδρὸς εἰδώς, οὐχ ὅπερ ἔφησεν Ἕλενος Παλλάδιον λαβεῖν αὐτόν, ἀλλ' ἀντ' ἐκείνου ἕτερον, ἀποκρίνεται· κινηθέντος δὲ τοῦ Παλλαδίου κατά τινα δαίμονα, γνοὺς Ὀδυσσεὺς αὐτὸ ἐκεῖνο εἶναι καὶ κατόπιν γεγονὼς σπᾶται τὸ ξίφος, ἐκεῖνον μὲν ἀνελεῖν βουληθεὶς, αὐτὸς δ' Ἀχαιοῖς τὸ Παλλάδιον κομίζειν. καὶ αὐτοῦ μέλλοντος πληγὴν ἐμβαλεῖν (ἦν γὰρ σελήνη) ὁρᾷ Διομήδης τὴν αὐγὴν τοῦ ξίφους, Ὀδυσσεὺς δ' ἀναιρεῖν μὲν ἀπέσχετο ἀντισπασαμένου κἀκείνου ξίφος, δειλίαν δ' ὀνειδίσας πλατεῖ τῷ ξίφει οὐκ ἐθέλοντα προιέναι τύπτων τὰ νῶτα ἤλαυνεν. ἐξ οὗ ἡ παροιμία »ἡ Διομήδειος ἀνάγκη« ἐπὶ παντὸς ἀκουσίου λεγομένη.*

Videmus de raptu quodam agi simulacri Minervae atque jam elucet quo modo in Diomedis potestatem signum venerit quod postea heros Argos in urbem suam transtulisse ferebatur.

Sed mythographi narratione nonnulla artis opera mirum in modum illustrantur quae in prima parte descripta sunt. Apparet enim in *nummo Argivorum* saec. IV (no. 3), qui virum Palladium tenentem atque caute progredientem exhibet, Diomedem repraesentari cum ad naves redit raptu perfecto. Atque huc quoque pertinet *signum Monacense* (no. 4) cujus archetypum

Argis quondam stetisse suspicati sumus. — Sed cum in his monumentis Argivis Diomedes unus exhibeatur et actionis momentum non definitum sit, in aliis, quae quidem Vlixem Tydidae comitem dant, duo certissima momenta effinguntur. In *vasculo* enim s. III impressis figuris ornato (9), in *anaglypho Romano* (20), in *lucerna fictili* (21), in *gemmis*, Diomedes ut semper praecedit, Palladium tenet atque comitem subito respicit; Vlixes gladium tollere videtur. Vix dubitari autem potest quin illud furti momentum haec artis opera exhibeant quo — ut Conon nos docet — Vlixes gladio modo destricto Diomedem aggressurus ab eo animadvertitur. In *vase picto* denique *comicis figuris ornato* (10) et in *sarcophago Lycio* (22), quibus duae gemmae addendae sunt (v. p. 39), momentum effingi quo Palladium movetur (κινηθέντος δὲ τοῦ Παλλ. κ. τ. λ.) luculentissime nuper ostendit Robertus cujus verba lege Sarkophagreliefs II p. 150.

Itaque mythographi narratione haud pauca opera artis antiquioris (saec. IV vel III) dilucidantur, atque ex eo jam efficitur ut nonnulla certe hujus narrationis momenta ex antiquioribus carminibus fluxerint.

Sed porro in vetustioribus Cononis narrationis partibus distinguendis nobis procedendum est.

Ac primum ambo momenta de quibus diximus re vera veteribus carminibus tradita fuisse etiam aliis argumentis comprobari potest. — Vt enim de altero prius dicam, Palladium oculos, hastam, clipeum movens et apud *Vergilium* nobis occurrit (Aen. II 172—5):

»Vix positum castris simulacrum, arsere coruscae
Luminibus flammae arrectis, salsusque per artus
Sudor iit, terque ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem.«

Quae poetam Romanum ex antiquo poeta sumpsisse atque paucis commutatis ad rem suam adhibuisse suspicari licet. Confer *Servium* (II 166): »Verum tamen (sc. Palladium) agnoscitur hastae oculorumque mobilitate.«

Ad prius momentum venio: Vlixem gladium ut comitem praecedentem necaret subito destrinxisse.

Ei quae apud Cononem exstat simillima narratio nobis a veteribus grammaticis servata est, cum locutionem interpretari studerent, quae in proverbii consuetudinem venerat atque apud Aristophanem (Eccl. 1029) et Platonem (Rep. VI 493 D) occurrit (quibus adde Cramer. Anecd. III 223), *Διομήδειος ἀνάγκη.*[1]) Legitur autem haec narratio apud Zenobium (III 8), Arsenium (181), in cod. Bodleiano (338), apud scholiastam Platonis (Rep. VI 493 D), Servium (II 166), atque etiam cum altera locutionis explicatione[2]) apud Suidam (*Δ. ἀ.*), Apostolium (VI 15), Eust. (p. 822, 20). Quos omnes locos, cum plerumque fere ad verbum inter se consentiant, ex eodem fonte manavisse verisimile est. Primum illum auctorem veterem doctumque *Aristophanis commentatorem* fuisse recte mea sententia monuit Kleinius; nam et apud Zenobium et apud scholiastam in Platonem Ranae Aristophanis laudantur.[3]) Zenobii verba cum plenissima sint appono: . . *ὅτε γὰρ λαβόντες τὸ Παλλάδιον Δ. καὶ Ο. ἐκόμιζον ἐπὶ τὰς ναῦς, τότε βουλόμενος Ὀδυσσεὺς αὐτοῦ μόνου τὴν φιλοτιμίαν γενέσθαι ἐπεχείρησε φονεῦσαι τὸν Διομήδην μετὰ τοῦ Παλλαδίου προηγούμενον. Προϊδὼν δὲ ἐκεῖνος ὡς ἐν κατόπτρῳ ἀντίστιλβον τὸ ξίφος*[4]) *καὶ συλλαβὼν αὐτὸν καὶ δήσας τὰς χεῖρας πλάτει τοῦ ξίφους ἀκολουθῶν ἔτυπτεν.*[5])

Ad *Διομ. ἀν.* spectant etiam verba nonnulla *Hesychii*

---

[1]) Vid. Welcker, Ep. C. II 169 sqq. Klein, Arch. ep. Mitt. aus Öster. III 36—40. Hoefer, Konon 99 sq.

[2]) A Clearcho Solensi proposita, qui locutionem ad Diomedem Thracum referebat. Hesych.: *Κλέαρχος μέν φησι, Διομήδους θυγατέρας γενέσθαι πάνυ μοχθηρὰς, αἷς ἀναγκάζειν πλησιάζειν τινάς, καὶ εὐθὺς αὐτοὺς φονεύειν.* Quam quidem explicationem falsam esse recte Kleinius l. c. sensit, qui non sine quadam veri specie eam ex loco Aristophaneo fluxisse conjecit. Sola in uno scholio in Arist. Eccl. 1029 legitur.

[3]) Ecclesiazusae sane laudandae erant.

[4]) Suidas (et Arsenius): *ἐν τῇ σελήνῃ δὲ ἰδὼν τὴν σκιὰν τοῦ ξίφους.* Cf. Conon.

[5]) Suidas: *παίων αὐτοῦ τῷ ξίφει τὸ μετάφρενον.* Consentiunt cetera.

(*Δ. ἀ.*): *Διομήδειος ἀνάγκη: παροιμία. Κλέαρχος μέν φησι κ. τ. λ.* . , *ὁ δὲ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα . . . φησί ἐπὶ τῆς τοῦ Παλλαδίου κλοπῆς γενέσθαι.*

Ex quibus verbis hoc saltem intellegi potest, post Clearchi interpretationem alteram indicatam esse, cujus auctor item nominabatur: *ὁ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα* ⟨*γράψας*⟩. Quin autem sequentibus verbis illa narratio significetur quae apud Suidam, Apostolium, Eustathium eodem modo cum Clearchi conjuncta refertur, mihi quidem haud dubium est. Fluxit igitur paroemiographorum narratio ex Iliade parva.

Si nunc ad Cononem redimus, tantam cum paroemiographorum traditione similitudinem praebet media pars ejus narrationis, ut dubitari vix possit quin et ipse in hac parte ab Iliade parva pendeat. Qua re fretus putet fortasse quispiam totam Cononis narrationem ad Leschae fidem fictam esse.

Attamen fortasse rectius de ratione judicabimus quae inter Iliadem parvam et Cononem intercedit postquam etiam alia quaedam momenta inspexerimus. Et primum quidem cum in plerisque consentiant mythographus et parœmiographi supra laudati, valde abhorret a ceterorum consensu Cononis narratio extrema. Multo inopinatius enim res hic versae sunt, cum Diomedes non modo Vlixi vim non inferat sed etiam ipse ab eo verberatus sit.[1])

Etsi autem ex nullo scriptorum loco quo hoc proverbium commemoratur dijudicari potest utrum vim activam an passivam vox *Διομήδειος* habeat, tamen ex Clearchi explicatione supra allata elucet veteres ei vim activam tribuisse. Recte igitur Eustathius (822.17): *παροιμία . . . ἐπὶ τῶν βίᾳ ἐγχειρούντων ἔργοις καὶ μάλιστα ὅτε τις ἀλοὺς ἐπίβουλος βίαν πάσχῃ ἐνεργεῖν τι τῶν μὴ θελητῶν*, quibus verbis Vlixem designari patet. Antiquiorem igitur traditionem parœmiographi praebent.

Huc accedit quod parœmiographorum potius quam Cononis

---

[1]) Similem exitum praebet Cononis narratio 19. Est quod ab Hoefero appellatur: „die ätiologische Zuspitzung, welche vielen seiner Geschichten eigen.“

versionem ab Hesychio respici parvaeque Iliadi tribui probabile est. Atque vulgi prudentiam quae proverbio continetur jocum risumque facere Cononis narratio videtur; quod recentioris aetatis est.

Sed etiam quae ante Palladii raptum evenerunt in eadem διηγήσει 34 mythographus exponit; — quam partem minime cum parva Iliade consentire nunc ostendam. Apud Cononem enim legitur Helenum vatem post Paridis mortem cum Deiphobo fratre de Helena contendisse atque invidia motum in Idam recessisse, ubi a Graecis captus est; ira adversus Trojanos incitatus Palladium rapiendum esse Graecis prodidit. Haec omnia sine ullo dubio in parva Iliade non posita fuerunt. In hoc enim carmine — si qua fides Proclo habenda est — Helenus Graecis suadebat ut Philoctetem arcesserent; itaque captus fuit ante Paridis mortem. Vatem autem ut apud Sophoclem (Phil. 606 sqq.) ita jam in Iliade parva vi coactum esse ut loqueretur verisimillimum est.[1]) — Contentio cum Deiphobo de Helenae nuptiis conserta ad artem Alexandrinam potius pertinet.

Postquam ostendi quanti ad Leschae narrationem restituendam Cononis διηγήσεως initium exitusque facienda sint, venio ad verba καὶ ἀναβαίνει ἐπὶ τοῦ τείχους Διομήδης, ἐπιβὰς τῶν ὤμων Ὀδυσσέως· ὁ δὲ οὐκ ἀνελκύσας Ὀδυσσέα κ. τ. λ. Quaeritur num jam in Iliade parva res ita narratae fuerint ut unus Diomedes in urbem se immiserit. — Hic iterum mythographi auctoritas artificum operibus valde firmatur. Ad talem enim Palladii raptus versionem *picturam* illam referendam esse quam imitata sunt monumenta in prima dissertationis parte sub no. 15 A-L enumerata, ingeniose ostendit Robertus (Sarkophagreliefs II 150 sq).

---

1) Nihil tamen impedit quominus de Palladio quoque in Iliade parva verba fecerit Helenus. Cf. Soph. Phil. l. c.: τά τ' ἄλλ' αὐτοῖσι πάντ' ἐθέσπισεν καὶ . . ut Philoctetem arcesserent.

In hac enim tabula picta Diomedes qui de muro in aram Apollinis modo desiluit ab Vlixe vehementissimis opprobriis excipitur; minime igitur in urbem penetravit Laertiades, atque ob id ipsum ira effertur ni fallor quod a Diomede ad moenia relictus est. Saec. autem IV partis alterius vel saec. tertii archetypus ille deperditus nobis visus est. Estne inde colligendum jam a Lescha rem ita narratam esse? Ego quidem id mihi persuadere nequeo. In *tabula* enim *Iliaca* quae dicitur, in qua res ante urbis expugnationem gestas ad Leschae fidem effictas esse inscriptione confirmatur, ambo heroes ex urbe evadunt, quod praesertim de Vlixe minime dubium mihi videtur cum nondum totus e porta egressus sit. *Procli* deinde verbis, etiamsi ea non nimis premenda esse concedo, et Vlixem in urbem penetrasse declaratur: *καὶ μετὰ ταῦτα σὺν Διομήδει τὸ Παλλάδιον ἐκκομίζει* (sc. Vlixes) *ἐκ τῆς Ἰλίου.*[1]) Apud duos denique poetas recentiores qui Palladii raptum attigerunt, *Vergilium* (Aen. II 162—175) et *Silium Italicum* (Pun. XIII 41 sqq.), videmus et Vlixem et Diomedem in urbem Trojanorum se immittere. Nescio autem ad quam traditionem poeticam horum narrationes referendae sint nisi ad Iliadem parvam[2]). Valde sane a sententia abhorreo sinceram carminis cyclici narrationem a poetis Romanis exhibitam esse; conturbantur semper diversa momenta e variis versionibus sumpta; attamen quae a Vergilio narrantur, heroes »caesis summae custodibus arcis« in arcem Pergamum penetrasse, antiquam fabulae speciem prae se ferre mihi videntur.

Quominus autem in parva Iliade uterque heros urbem intraverit nihil in paroemiographorum narratione obstat, atque

---

[1]) Ex epitomes verbis minime tamen conjicere licet primas partes ab Vlixe actas esse. — Cave quoque ne ex Procli verborum conjunctione *πτωχείαν* et Palladii raptum apud Lescham ita connexa esse putes, ut Helena antea de signo rapiendo cum Vlixe colloqueretur (*καὶ ἀναγνωρισθεὶς ὑφ' Ἑλένης περὶ τῆς ἁλώσεως τῆς πόλεως συντίθεται*) vel etiam raptores adjuvaret.

[2]) Certe neque ab Arctino neque a Sophocle pendent.

Leschae narratio ita restitui potest: ab Vlixe qui urbem cognoverit (Palladium enim paulo post notissimam ejus *πτωχείαν* furto ablatum esse e Procli verbis discimus), Diomedes usque ad arcis templum per innumerabilia pericula ductus est. Vlixe tamen aliqua re retento Tydidam priorem in templum nescio quo modo penetrasse verisimillimum est, cum ab eo signum sublatum esse constet. Vlixes deinde qui comitem suum omnes rei gestae laudes sibi parare videt, ira effertur cum sentiat quid in signo rapiendo ipse praestiterit. Contentione inde inter heroes orta gladium subito destringit Vlixes, etc.

Vidimus haud pauca momenta recentiora cum antiquioribus apud Cononem contaminata esse. Fuit igitur veteris poetae epici narratio aetate posteriore retractata antequam ad mythographum pervenit. Fortasse nobis continget ut aliquid certioris de auctore quo Conon usus est eruamus.

Atque primum quidem neminem fuget hanc narrationem diligentius perlegentem quam accurate etiam minutulae res depingantur et quam arte inter se conjuncta sint omnia. Ex qua re meo judicio elucet Cononem poetica quadam narratione usum esse, — atque jam vides quam veri dissimile sit parvam Iliadem mythographo saec. I. tam bene notam fuisse.

Eundem vero auctorem habuit sine dubio etiam *Quintus Smyrnaeus* (X 343 sqq.): *αἵ* (sc. Parcae) *δ'ὀάριζον | ὁππόσα λοίγιος Αἶσα περὶ φρεσὶν οὐλομένῃσι | μήδετο, Τυνδαρίδος στυγερὸν γάμον ἐντύνουσα | Δηιφόβῳ, καὶ μῆνιν ἀνιηρὴν Ἑλένοιο, | καὶ χόλον ἀμφὶ γυναικός, ὅπως τέ μιν υἷες Ἀχαιῶν | ἤμελλον μάρψαντες ἐν ὑψηλοῖσιν ὄρεσσι | χωόμενον Τρώεσσι θοὰς ἐπὶ νῆας ἄγεσθαι, | ὥς τε οἱ ἐννησίῃσι κραταιοῦ Τυδέος υἱὸς, | ἑσπομένου Ὀδυσῆος, ὑπὲρ μέγα τεῖχος ὀρούσας | Ἀλκαθόῳ στονοέντα φέρειν ἤμελλον ὄλεθρον | ἁρπάξας ἐθέλουσαν ἐύφρονα Τριτογένειαν, | ἥτ' ἔρυμα πτόλιός τε καὶ αὐτῶν ἔπλετο Τρώων.*

Animadvertas imprimis velim Heleni invidiam hic quoque fratris nuptiis excitatam esse atque unum Diomedem in urbem penetrare, *ὑπὲρ μέγα τεῖχος ὀρούσας*.

Sed Quintum sua verba consulto ita conformasse apparet, ut facile intellegas alius cujusdam poetae narrationem notissimam ab eo respici (cf. et alias et v. 352: *Ἀλκαθόῳ κ. τ. λ.* ubi quis Alcathous sit nemo perspicere potest qui antiquiorem narrationem non cognoverit). Tota autem narratio de Palladio facta apud Smyrnaeum poetam ut Parcarum vaticinium illi longiori ejus carminis parti inserta est, qua Paridis et Oenones interitus depingitur; unde probabile fit eam ex eodem fonte fluxisse.[1]) Quam diximus Paridis et Oenones interitus descriptionem e poeta quodam Alexandrino a Quinto sumptam esse Rohdius ingeniose ostendit.[2]) Cumque jam nonnulla in Cononis narratione momenta inesse animadverterimus quae ad eandem aetatem pertineant, crediderim *carminis* cujusdam *Alexandrini* argumentum a Conone nobis praeberi.

Vtrum poetam ipsum Conon inspexerit an aliud quoddam compendium exscripserit dijudicari vix potest. Hoeferus quidem hanc *διήγ.* 34 ex isto compendio fluxisse statuit cui non paucas mythographi narrationes tribuit, »weil sie aetiologisch ist« (Konon p. 109). Comprobari posset nostra sententia illo Hoeferi judicio: »im Kompendium, aus welchem Konon schöpfte, waren nicht wenige Stoffe aus alexandrinischen Dichtern entlehnt« (p. 111), nisi ejus sententia mihi quidem nimis incerta esse videretur.[3])

[1]) Rohde, Der griech. Roman 110 Adn. 5: „Das bei alexandrinischen Dichtern so häufig vorkommende Kunststück einer göttlichen Voraussagung des Künftigen, ist sicher aus demselben Gedicht herausgenommen, aus dem die Paris und Oenone Episode."

[2]) Rohde, l. c.

[3]) Praesertim cum idem Hoeferus haec supra scribat (p. 108): „aber auch unter den Geschichten, welche dem Ephoros und Hegesippos zugeschrieben wurden, befinden sich solche (ätiologische), so dass man nicht etwa glauben darf, Konon hätte die ätiologischen Geschichten samt und sonders aus einem Buch abgeschrieben," — Nec magni momenti ea esse

Eodem auctore etiam *Tryphiodorum* (*Ἰλίου ἅλωσις* ed. Wernicke 43 sqq.) usum esse notandum est.

Si autem nostro jure Cononis et Iliadis parvae versiones sejunximus, eas optime distinctas in loco docto *Servii* reperimus, quo sententia prolata egregie confirmatur. Eum igitur integrum affero II 166: »Helenus apud Arisbam captus a Graecis est et indicavit coactus fata Trojana, in quibus etiam de Palladio . . .

alii dicunt Helenum non captum sed dolore, quod post mortem Paridis Helena judicio Priami non sibi sed Deiphobo esset adjudicata, in Idam montem fugisse atque exinde monente Calchante productum, de Palladio pro odio prodidisse.

Tunc Diomedes et Vlixes, ut alii dicunt, cuniculis, ut alii cloacis, ascenderunt arcem et occisis custodibus sustulere simulacrum. — Qui cum reverterentur ad naves, Vlixes . . .« (sequitur paroemiographorum narratio).

Verba »Diomedes et Vlixes cuniculis ascenderunt arcem« secundum quae uterque heros Trojam intrat, ad Cononis auctorem referri non possunt. Melius cum verbis »Helenus . . captus . . et indicavit coactus« cohaerent; ex quo recte conjicies ea ad Iliadem parvam pertinere. Vides quo modo in carmine epico heroes se in urbem immiserint.

Haec igitur mihi visa sunt ex Iliade parva enucleari posse, neque jam impedior quin ad fabulas Argivas redeam. Vidimus enim quo modo Diomedes Palladium ceperit, et facile haec pauca supplere possumus: domum profectus signum Argos secum tulit ibique Minervae dedicavit.

---

mihi videntur quae p. 100 profert v. d., cum quae de Servio ejusque interpolatore judicanda sint minime constet. — Cononis narrationem 34 re vera ex compendio quodam fluxisse haec potius comprobare videntur: . . *καὶ κρατεῖ βίᾳ καὶ θεραπείᾳ τῶν δυνατῶν Δηίφοβος* (cf. Hoefer, Adn. 115). — *καὶ τὰ μὲν ἀπειλαῖς, τὰ δὲ δώροις, πλέον δὲ τῇ πρὸς Τρῶας ὀργῇ ἀποκαλύπτει Ἕλενος κ. τ. λ.* in quibus diversa momenta contaminata esse apparet.

Quae ratio autem inter fabulas proprie Argivas et carmen epicum intercedat, quam quidem artissimam esse sentis, in tertia commentationis parte exponam, ubi hoc praecipue quaerendum erit utrum fabulae Argivae ex narratione epica ortae sint an antiquiores fuerint.

§ 6. Poetae tragici; scriptores posteriores.

Quae de Iliade parva exposuimus etiam ratione confirmantur qua Palladii raptus in tragoedia tractatus erat cujus argumentum ex carmine epico sumptum esse *Aristoteles* tradit (Poet. 23 p. 1459b).

Ibi enim philosophus inter *πτωχείαν* et *Ἰλίου πέρσιν* ponit *Λάκαινας*, qua fabula Palladii raptum tractatum esse Welckerus vidit.[1])

Haec opinio fragmento a *Polluce* servato comprobatur, e cujus verbis *Sophoclis* hanc tragoediam esse discimus: 9,4 (Nauck, Trag. Graec. F.[2] 210) *Σοφοκλῆς ἐν Λακαίναις λέγει* »*στενὴν δ'ἔδυμεν ψαλίδα κοὐκ ἀβόρβορον*«. Cf. *Servius* II 166: »Diom. et Vlixes . . ut alii, cloacis ascenderunt arcem.«

Duas res imprimis ex hoc fragmento comperimus, primum utrumque heroem apud Sophoclem in urbem penetrasse, tum Palladium ab eis furto nocturno ablatum esse. Tragoediae inscriptionem deinde ad chorum referendam esse apparet, quem ex mulieribus Lacaenis constitisse inde perspicuum est. Probabiliter intelleguntur Helenae servae quae cum ea Trojam erant profectae. Vnde recte viri docti conjecisse mihi videntur et Helenam ipsam in hac fabula partes quasdam suscepisse.

Ex his non sine quadam veri specie Welckerus suspicatus est Palladium non tam vi violentiaque quam dolo ac persuasione raptum esse.[2]) Haec cum Vlixis persona optime con-

---

[1]) Welcker, Die griech. Trag. I 146 sqq.

[2]) Gr. Trag. l. c.: Aus diesem Chor ergiebt sich sogleich, dass die Schilderung von der gewaltsamen oder heimlich kühnen Wegnahme des Palladiums, wie wir bei Virgil und Ovid lesen, sich gänzlich unterscheidet.

veniunt atque videtur Laertiades, quippe qui in tragœdiis tam magnum locum obtineat, hic quoque primas partes habuisse. Fortasse huc referendum est *scholion in Aristophanis* Vesp. v. 351: *ὅτι τὸ Παλλάδιον δι' ὑδρορρόας εἰσῆλθον οἱ περὶ τὸν Ὀδυσσέα.*

Si vero Helena in Sophoclis tragoedia partes egit, jam probabile fit ad ejus fabulam picturam *vasculi* s. III referendam esse quam supra sub no. 5 descripsi. Atque plerasque hujus generis amphoras, quae Apulae dicuntur, ex tragoediis Atticis sua argumenta cepisse notum est. — In prima autem dissertationis parte ad eandem traditionem atque vasculum supra commemoratum *amphoram* sub no. 6 enarratam et *picturam Pompejanam* (no. 16) retuli, in quibus quoque Helena raptoribus favens aspicitur. Picturae Pompejanae certe argumentum ex fabulis Atticis fluxisse eo comprobatur quod in ea Aethra Helenam comitatur.

Quae ex fragmentis atque ex his monumentis de fabulae Sophocleae argumento cum quadam veri specie elici possunt breviter nunc explicabo.

Scaena est ad domum Priami; noctu res aguntur. Helena fortasse prologum locuta est. Animum jam mutavit, quae nuper cum Vlixe pannis mendici induto de urbe capienda collocuta sit, neque forsitan ignorat heroes Palladium mox rapturos esse (cf. Od. IV 260-4: *ἤδη μοι κραδίη τέτραπτο νέεσθαι | ἂψ οἶκόνδ', ἄτην δὲ μετέστενον κ. τ. λ.* et Iliadis parvae epitomen a Proclo servatam).

Prodeunt nunc in scaenam Vlixes et Diomedes, qui nescio quo modo in urbem se immiserunt.

Alterum autem fabulae fragmentum exstat hoc (Nauck[2] 211):

θεοὶ γὰρ οὔποτ', εἴ τι χρὴ βροτὸν λέγειν,
ἄρξασι Φρυξὶ τὴν κατ' Ἀργείων ὕβριν
ξυναινέσονται· ταῦτα μὴ μάχου βίᾳ.

Quae verba ex Vlixis et Helenae diverbio petita esse puto: Vlixes ab Helena primum renitente flagitare videtur ut ipso

indicet ubi stet Palladium quoque modo auferri possit. — Abeunt deinde heroes, ut signum ex arce rapiant. Mox tamen redeunt atque cum Palladium Diomedes teneat sequitur Vlixes comitem vehementer increpans. Quaerenti Helenae alter quid acciderit narrat (cujus quidem narrationis argumentum amphora sub no. 5 descripta exhibere videtur[1]): Diomedi praecedenti Theano vi aut precibus mota fores templi aperuit, qui cum prior in templum penetraverit simulacrumque sustulerit suum Palladium esse contendit. Vlixes contra quae praestiterit verbis effert atque videtur altercatio inter duos heroes de Palladii possessione orta esse[2]). Etenim in pictura Pompejana (in qua posterius momentum effictum est) Palladium non jam a Diomede sed ab Vlixe fertur, quem in contentione superasse ex hoc concludo. Poteratne tamen poeta discidia alteris partibus devictis terminare? Poterat Diomedis jura sic spernere? Sed neque verisimile videtur fabulas Athenienses secundum quas Palladium in Demophontis manus venisset a Sophocle prorsus neglectas fuisse. Et eas aliquo modo ab eo respectas fuisse fortasse ex eo conjicere licet quod Aethra, Demophontis mater, in signo rapiendo partes suscepit, siquidem picturae Pompejanae fides habenda est. Quadrant quae a *Dionysio* traduntur (ap. Clem. Alex. Protr. IV 47): *τὸ Παλλάδιον . . ὃ Δ. κ. 'Ο. ἱστοροῦνται μὲν ὑφελέσθαι ὑπὸ 'Ιλίου, παρακαταθέσθαι δὲ Δημοφῶντι.* Palladium igitur ita tantum ab Vlixe acceptum fuisse suspicor, ut Demophonti postea traderetur atque transportaretur Athenas.

Palladium raptum est; in eo est ut heroes abeant; — chorus laetus Trojam perniciei devotam esse praedicat. Illud enim Sophoclem omnino in hac fabula sibi proposuisse videtur,

---

[1]) Saepius in vasculis ea exhibentur quae in tragoediis nuntius narravit. Vid. ex. g. illam amphoram quae Medeae fabulam depictam habet. W. Vorlegebl., I., t. XII.

[2]) Huic loco Welckerus fragmentum fabulae incertae inserendum esse conjecit in quo Vlixes Diomedem objurgationibus petit (Nauck [2] 303, fg. 731). Rectius tamen Brunckius id ad *'Αχαιῶν σύλλογον* retulisse videtur.

ut Trojae exitum describeret. Quod ut melius proponatur Cassandram ex inopinato in epilogo poeta in scaenam producit. Media nocte somniis divinis excitata Trojam salutis suae pignore orbatam et nunc perituram esse sensit atque domo erupit facem vibrans deique plena. Ad Hectoris (?) tumulum properat vae, vae clamans, ubi dum ejus verba Helena, Diomedes, Vlixes laeti excipiunt, de proximo Trojae interitu vocibus interruptis vaticinatur[1]). — Cum hoc de rebus futuris vaticinio tragico partes conferas velim quas in Aeschyli Agamemnone suscepit eadem Cassandra[2]).

Vides quo modo Sophocles Iliadem parvam in rem suam adhibuerit. Omnia ex Lescha fere immutata fluxerunt quae ad ipsum Palladii raptum pertinent; nam apud utrumque poetam Diomedes prior ad templum pervenit simulacrumque aufert[3]); Palladio rapto etiam rixam ab heroibus consertam poeta tragicus servavit, ita tamen ut eam in urbe, cum ex arce redirent raptores, exortam esse narraret. Theano a Sophocle primo cum Palladii raptu conjunctam esse probabile non videtur, praesertim cum minime intellegi possit cur poeta hoc fecerit. Itaque libenter credam jam in parva Iliade Theano aliquas in Palladio rapiendo partes suscepisse. Helenam contra a Sophocle primo in Palladii mythum introductam esse ex expositis elucere mihi videtur. Poeta Palladii raptum aliquo modo cum illo celeberrimo Vlixis facinore contexuit, quod *πτωχεία* vocabatur, — ni fallor, ut fabulae argumentum augeret.

Cum jam apud Sophoclem Helena Palladii raptoribus faverit atque Vlixes primas partes egisse videatur, nonnullos mox

---

[1]) Cf. Odysseae versum IV 259 ubi Helena dicit: *ἔνθ' ἄλλαι Τρῳαὶ λίγ' ἐκώκυον· αὐτὰρ ἐμὸν κῆρ | χαῖρε.*

[2]) Aliam viam Euripides ingressus est in Hecuba et Troadibus, cum ipse Trojae interitum repraesentare vellet.

[3]) Ex eo efficitur ut dijudicari non possit utrum *Anaglyphum Spadanum* (19) ad Iliadem parvam an ad fabulam Sophocleam referendum sit.

ultro progressos esse in performando mytho docet nos *Antisthenis* (?) exemplum, in cujus declamationibus (*Αἴας* et *'Οδυσσεύς*) Vlixes unus atque ubi mendico habitu Trojam penetravit Palladium rapuisse perhibetur. Locos huc pertinentes, cum adhuc a nullo respecti sint, affero; Ajacis verba sunt: § 6 *ὅστις γε* (sc. Vlixes) *μαστιγοῦν παρεῖχε τοῖς δούλοις καὶ τύπτειν ξύλοις τὰ νῶτα καὶ πυγμαῖς τὸ πρόσωπον, κἄπειτα περιβαλόμενος ῥάκη, τῆς νυκτὸς εἰς τὸ τεῖχος εἰσδὺς τῶν πολεμίων ἱεροσυλήσας ἀπῆλθε.* Verbo autem *ἱεροσυλήσας* Palladii raptum significari antecedentibus verbis ostenditur (3) *ὅς* (Vlixes) *καὶ πρότερον ἱεροσυλήσας αὐτῶν* (Trojanorum) *τὸ ἄγαλμα τῆς θεοῦ νύκτωρ κτλ.* — Adde etiam Vlixis jactationes § 8 *ἐγὼ δὲ ἄοπλος οὐ πρὸς τὰ τείχη τῶν πολεμίων ἀλλ' εἰς αὐτὰ εἰσέρχομαι τὰ τείχη, καὶ τῶν πολεμίων τοὺς προφύλακας ἐγρηγορότας αὐτοῖς τοῖς* (*τοῖς* adjeci) *ὅπλοις αἱρῶ* — Sed et oraculi Trojanis dati urbem expugnari non posse nisi Palladio rapto Antisthenes hoc loco (Od. 3) antiquissimus testis est, qui etiam haec satis mira tradit, signum Minervae a Paride una cum Helena ex Graecia Trojam avectum esse.

Eandem versionem respicere videntur *Rhesi* versus 501 sqq. (Vlixes) *ὅς εἰς 'Αθανᾶς σηκὸν ἔννυχος μολὼν | κλέψας ἄγαλμα ναῦς ἐπ' 'Αργείων φέρει· | ἤδη δ' ἀγύρτης πτωχικὴν ἔχων στόλην | εἰσῆλθε πύργους, πολλὰ δ' 'Αργείοις κακὰ | ἠρᾶτο, πεμφθεὶς Ἴλιον κατάσκοπος | κτανὼν δὲ φρουροὺς καὶ παραστάτας πυλῶν | ἐξῆλθεν* —, ubi tamen *πτωχεία* et Palladii raptus distinentur. Vid. etiam *Lycophronis* Alex. v. 658.

Cum Antisthene denique consentiunt ea quae apud *Ovidium* Met. XIII 335 sqq. leguntur, quo loco quoque Vlixes quid praestiterit ipse narrat. Ceteroquin Ovidio tres versiones diversas cognitas esse e Fastorum loco elucet (VI 433 sqq. »seu genus Adrasti seu furtis aptus Vlixes | seu pius Aeneas — eripuisse ferunt« — —).

Et haec traditio tragoediae cuidam Atticae originem suam debuisse videtur; occurrit animo Jonis fabula *Φρουροί* inscripta,

qua Vlixis πτωχείαν tractatam esse apparet (vid. Nauck[2] 741, Eur. Hec. 239 sqq., Rhesus l. c., Lycophr. 779—785).

Liceat denique pauca hic de duobus artis operibus addere quae si minus ex his at e similibus traditionibus sua argumenta duxisse videntur. Et primum quidem pictor *vasis Parisini* sub no. 8 enarrati eo Sophoclem secutus est quod Helenam induxit, fabulas tamen Atticas diligentius respexit cum duo Palladia ex urbe a Diomede et Vlixe rapta esse putaverit. Vlixi autem Athena subito apparere atque bracchio extenso aliquid mandare nobis vasculum describentibus visa est. Nonne jam elucet quid dea jubeat? Puto Laertiadem simulacrum suum Demophonti tradere qui id Athenas transportet. *Amphoram* deinde *Berolinensem* (7) ita tantum interpretari possum ut pictor argumentum liberius commutaverit et scaenarum sepulcralium typo adhibito Cassandram ad Hectoris tumulum lugentem atque altera ex parte Theano Palladium Diomedi tradentem depinxerit.

Venio nunc, ut scriptorum testimonia ad poetarum narrationes pertinentia hic absolvam, ad mythographos recentiores chronographosque Byzantinos, quos paucis tantum verbis attingam. Etenim quamquam nonnulla fortasse ex antiquis traditionibus hauserunt multa certe ultro excogitaverunt, qui descriptiones longas Palladii raptus nobis praebeant singulasque res persequantur. — Ni fallor duo versiones apud eos valent, quae in hoc consentiunt, Palladium ab Antenore ejusque uxore Theano Diomedi et Vlixi traditum fuisse. In altera narrantur heroes signum ab Antenore accepisse cum ad Priamum de pace facienda missi Trojae morarentur. Cujus traditionis auctor praestantissimus est *Dictys* (V 5 sqq.). Suidas (*Παλλάδιον*) et Schol. Il. VI 311 qui inter se ad verbum consentiunt, non dubito quin Dictyn (graecum Dictyn?) exscripserint (cf. verba *οἱ δὲ ποιητικῶς γράψαντες εἶπον κ. τ. λ.* quibus Dictys significatur). Est hoc antiquissimum in litteris testimonium quo Palladium a Theano proditum esse tradatur cum jam in vasculis s. III pictis haec Minervae sacerdos Palladium tenens aspiciatur. —

Altera versio a Malala (ed. Bonn. p. 108—113), Tzetza (Schol. ad Lyc. 658, Posth. 509 sqq.), Procopio (de bello goth. I 15) memoriae tradita est, quos quidem sua ex *Joanne Antiocheno* nonnullis hujus scriptoris fragmentis collatis hausisse puto (FHG. IV p. 551 frg. 24 = Exc. Salm. p. 370, 7 et 8. Cf. Tzetz. ad Lyc. 355). Secundum hanc traditionem Palladium (ut apud Sophoclem) furto nocturno a Diomede et Vlixe aufertur, ab Antenore et Theano traditur.

§ 7. Luceria.

Jam redeo ad fabulas populares. In urbibus magnae Graeciae fabulas Trojanas vulgatissimas fuisse notum est. Diomedes ipse in Dauniam cum comitibus pervenisse jam remota antiquitate vulgo credebatur atque compluribus locis ut heros et deus colebatur [1]). Quid? quod multis in templis ejus anathemata ostendebantur: Ps. Arist. Mirab. 109, 110, Strab. 284, Procop. de bello goth. I 15.

Atque altera ex parte quam multa artis opera Palladium exhibentia magna Graecia protulit supra vidimus. Haud mirum inde videbitur Minervae Trojanae simulacrum a Diomede in Italiam translatum esse nonnullarum urbium incolas contendisse. Quod de Luceria saltem nobis a *Strabone* (p. 264) confirmatur. Non dubito quin ad idem templum etiam alter Strabonis locus (p. 284) et Ps. Arist. Mirab. 109 referenda sint; ex quibus locis comperimus templum Minervae Achaeae fuisse [2]) atque praeter Palladium alia *παλαιὰ ἀναθήματα* ibi conservata esse, inter quae securim et arma Diomedis.

§ 8. Siris.

Etiam alterius urbis Italiae incolas Palladium se possidere contendisse *Strabo* l. c. tradit; Siritas dico; sed cum de hoc

[1]) Vid. nunc Luebberti comm. de Diomede heroe per Italiam inf. div. hon. culto, Ind. schol. Bonn. 89/90.

[2]) Haud dubium mihi videtur quin Aelianus idem templum respexerit (Hist. an. XI 5) *ἐν τῇ γῇ τῇ Δαυνίᾳ νεὼν μὲν εἶναι τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Ἰλιάδος ᾄδουσι.*

signo atque de ratione qua in hanc urbem translatum fuerit longe alia narrentur quam quae adhuc comperimus, res novo capite tractanda esse mihi visa est.

Pauca primum de rebus Siritarum praeponere liceat. Cum Jones Colophone a Lydis expulsi circa a. 680 a. Chr. n. ad Sirim flumen appulissent, antiquiorem jam urbem ibi invenerunt, cujus origo ad Trojanos e patria expulsos jam antiquis temporibus referebatur (Timaei frg. 62, Ps. Arist. Mirab. 106, Strabo 264, schol. vet. et Tzetz. ad Lyc. 978 sqq.) Jones hac urbe capta novum oppidum condiderunt quod Polieum nominaverunt. Praevaluit tamen vetus Siridis denominatio. — Quae civitas cum tum floreret, circa a. 560 a Sybaritanis et Crotoniensibus oppugnata ac deleta est. Eam tamen saec. V rursus exstitisse nonnullis nummis ostenditur (Head, Hist. num. p. 69). Heraclea vero a. 432 a Tarentinis condita, hujus civitatis suburbium Siris facta est.

Ad urbis suae originem Siritae teste Strabone etiam Palladii Trojani possessionem referebant (264: *τῆς δὲ τῶν Τρώων κατοικίας τεκμήριον ποιοῦνται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Ἰλιάδος ξόανον ἱδρυμένον αὐτόθι.* Secundum *Stephanum Byz.* Jones urbem Polieum appellaverunt *ἀπὸ τῆς ἐν Ἰλίῳ Πολιάδος Ἀθηνᾶς*)[1]. Atque de hoc Minervae signo hanc fabulam narrabant: urbe ab hostibus capta cum victores a sacro simulacro supplices, inter quos sacerdos vel sacerdotis filius erat, avellerent, deae signum, ne tanti sceleris aspectu contaminaretur, oculos clausisse (*καταμῦσαι*) atque sic vim suam mirificam ostendisse.

De tempore autem quo haec acciderint dissentiunt auctores, cum *Strabo* (204) rem ad expugnationem ab Jonibus factam referat, *Justinus* contra (XX,2) Pompeium Trogum secutus, quo tempore Sybaritani et Crotonienses urbem ceperunt ea evenisse narret. *Lycophronis* Alexandrae versus satis obscuri 978—992 quo modo intellegendi sint minime liquet. Ac primum quidem

---

[1]) Animadvertendum est Aeneam in Siritarum traditionibus nunquam nominari, neque Siridem unquam ab eis commemoratam esse qui postea diversas de Aeneae migrationibus fabulas contaminaverunt.

id admirationem movet, Siridem apud eum non a Trojanis sed a Graecis Troja redeuntibus conditam esse[1]) (quod scholiastae non recte intellexerunt). Ab his Achaeis (989) *Ξουθίδες* sive *Ἰάονες* qui antea urbem obtinebant inter altaria trucidantur. *Scholiasta* (Schol. vet. ed. Kinkel, 984 sqq.) cum rem ad tempus referat, quo urbs a Sybaritanis et Crotoniensibus (*Ἀχαιῶν εἰς Ἰάονας βλάβην*, Lyc.) capta sit, quibus ex antiquis Trojanis qui reliqui tum erant sese coniunxerint, haud dubie perverse interpretatus est. Nescio an recte Lorentzius existimaverit »Lycophronem *Ἰάονες* docte pro Chaonibus posuisse«; quam gentem antiquitus circa Siridem habitasse constat.

Quoquo modo de hoc loco judicandum est, minime dubito quin narratio supra commemorata originem ex re vere facta duxerit, quam a. circiter 560 potius quam saec. VII accidisse credam; quae tamen de signi oculorum motu narrantur fabulosa sunt atque undenam sumpta sint quaerere licet.

Similia jam Trojae, cum vim Aias inferret Cassandrae, Minervae simulacro accidisse Callimachus (fg. 13d Schneid. II 126), Lycophron, alii tradunt[2]). Lyc. 361 sqq:

ἡ (sc. Minerva) *δ' εἰς τέραμνα δουρατογλύφου στέγης*
γλῆνας ἄνω στρέψασα χώσεται στρατῷ κ. τ. λ.

Ex nonnullis autem Strabonis verbis (l. c., *καταμῦσαι . . καθάπερ καὶ ἐν Ἰλίῳ ἀποστραφῆναι κατὰ τὸν Κασάνδρας βιασμόν*) intellegimus Siritas simulacrum suum Trojanum pro eodem venditasse a quo Cassandra ab Aiace avulsa esset. — Vnde apparet aut fabulam qua Siritae ipsorum signum oculos movisse perhibebant ad Cassandrae fabulam effictam esse, aut vice versa quae Siritae finxerint ad *βιασμόν* quoque Cassandrae relata esse. —

Sed quid? quod Lycophron post versus commemoratos sic pergit: 362 sqq.:

---

[1]) A quibus tamen *πόλιν δ' ὁμοίαν Ἰλίῳ* conditam esse idem Lycophron dicit (987).

[2]) Quint. Smyrn. XIII 426. Schol. Il. *N*. 66. Euphorion (Mein. Anal. Alex. p. 165).

γλῆνας ἄνω στρέψασα χώσεται στρατῷ,
ἐξ οὐρανοῦ πεσοῦσα καὶ θρόνων Διός
ἄνακτι πάππῳ χρῆμα τιμαλφέστατον.

Hanc enim »Palladii« originem fuisse inter omnes constabat (vid. infra. p. 74); atque nunc denique signum illud agnoscimus, in quo mirifica vis inerat oculorum movendorum (vide p. 43)[1].

Mira haec et nova sunt ad Palladium Cassandram fugisse, Palladiumque a Trojanis fugientibus secum ablatum esse! Mira sane sed quae capite sequente comprobabuntur.

§ 9. Novum Ilium.

In urbis arce, quae Trojae Homericae Pergamum esse vulgo credebatur, jam remota antiquitate sacellum Minervae, Iliadis cognomine, stabat, quod saeculo sacratum esse septimo recte meo judicio Hauboldius contendit (de rebus Iliensium Lips. 1888. p. 29 sqq.). Maxima cura templum colebatur; etenim jam a Xerxe mille boves ibi mactatas esse Herodotus tradit; similia postea de Mindaro, Alexandro, aliis narrantur.[2])

Quanta vero industria in his locis bello Trojano illustratis temporum antiquorum reliquiae conquisitae et cultae sint nemo ignorat. Monstrabantur heroum ad urbem quondam interfectorum arma, sepulcra, alia[3]). In ipso Minervae sacello arma sacra ex bello Trojano servata monstrabantur; atque etiam Priami Jovis Hercei ara ibi ostendebatur (Arrian. Anab. I 11, VI 9).

Stabat autem in hoc templo haud dubie antiquum Minervae simulacrum, atque jam sentis quanto majore cum studio Ilienses hujus originem a Troja Homerica repetere debebant.

Et re vera hoc simulacrum primum pro illa Minervae effigie vendidatum esse apparet quae in libro VI Iliadis commemoratur. *Strabo* 601: καὶ τὰ τοιαῦτα δὲ τοῦ αὐτοῦ τίθενται (sc. Ilienses)

---

[1]) Cf. Ovid. Fast. III 45 sq. Met. X 698. Propert. III 28,12, IV 4,11 (?).

[2]) Testimonia v. apud Haubold. l. c. p. 10 sqq.

[3]) Testimonia collegit Haubold, p. 47, Adn. 2.

τεκμήρια, οἷον ὅτι τῆς Ἀθηνᾶς τὸ ξόανον νῦν μὲν ἑστηκὸς ὁρᾶται[1]), Ὅμηρος δὲ καθήμενον ἐμφαίνει· πέπλον γὰρ κελεύει „θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν". κ. τ. λ.

Ab eodem signo Cassandram ab Ajace Locrensi avulsam esse Ilienses ferebant. Quod cum jam per se consentaneum sit etiam Locrensium more comprobatur, qui duas virgines quotannis Ilium mittere solebant, ut Oilei filii proavi sui scelus expiarent[2]). Qui usus eo tantum explicari potest quod virgines illae eidem Minervae simulacro ministrarent quod ab Ajace violatum esse dicebatur.

Signum suum denique Ilienses pro »Palladio« venditabant: *Appianus* (Rom. ed. Bekk. p. 669,53) τὸ δὲ τῆς Ἀθηνᾶς ἕδος, ὃ Παλλάδιον καλοῦσι (sc. Ilienses) καὶ διοπετὲς ἡγοῦνται κ. τ. λ. . . εἰ μὴ Διομήδης αὐτὸ καὶ Ὀδυσσεὺς ἐν τῷ Τρωϊκῷ ἔργῳ μετήνεγκαν ἐξ Ἰλίου, quam quidem dubitationem ab Appiano ipso additam esse perspicuum est. Cf. *Servius* II 166. Haec testimonia etiam *Apollodori* loco (III 12,3) confirmantur, ubi Palladii descriptio legitur quam ad signi Iliensium figuram satis miram esse factam inter viros doctos constat.

Hinc efficitur ut Ilienses simulacrum Minervae quod poeta libri VI Iliadis commemorat quodque postea Cassandra amplexa esse ferebatur, atque Palladium quod vocatur, unum et idem haberent. Atque haec opinio re bene considerata nihil habet quod offendat; immo consentaneum est unam tantum Palladis effigiem Trojae fuisse; neque plane desunt alia hujus sententiae testimonia quae non ad Ilienses pertineant. Etenim Siride similia valuisse vidimus, ac locum Lycophroneum attulimus qui haec comprobat. Sed etiam in scholio in Rhesum 502 et apud Eustathium p. 627 duo simulacra minime distinguuntur.

Ignorabatur igitur fabula qua Palladium raptum esse perhibebatur.

Res tamen in quasdam difficultates incurrebat; »Palladium«

---

[1]) Minervae Iliensis signum stans effictum erat.

[2]) Testimonia plenissima ap. Hauboldium invenies (l. c. p. 29,30 cum adn.), qui virgines Locrenses jam ante a. 700 mitti coeptas esse contendit.

enim unanimo scriptorum atque artis monumentorum consensu deam stantem exhibebat, et Iliensium quoque signum stans effictum esse nummis comprobatur (vid. p. 13). Cum tamen Homeri verba *θεῖναι Ἀ. ἐπὶ γούνασιν* valde ab hoc abhorrerent, haud dubium mihi videtur quin inde ortae sint istae grammaticorum explicationes qui poetae verba ad stantis effigiem significandam detorserunt (vid. schol. Il. VI 92 et 303, Eust. p. 627). Ad eas Ilienses certe confugisse e verbis Strabonis comperimus (p. 601), qui recto judicio usus talia refellit.

Sed etiam hoc alterum discrimen intercedebat, quod »Palladium« semper armatum hastamque vibrans effingebatur, in Iliade autem cum ei peplus ab Hecuba offeratur Athena pacifica potius ac femineorum onerum patrona putari videtur. Atque nulla alia causa nisi ut illam diversitatem componerent Ilienses mirum istud Minervae simulacrum effecisse puto, quod in ipsorum nummis inde a saec. II a. Chr. n. (p. 13) exhibetur; quod simulacrum polo ornatum est atque dextra manu hastam, laeva fusum tenet.

Palladii Iliensium mentionem faciunt plerique scriptores qui Novi Ilii expugnationem a. 85 flagrante bello Mithridatico a Fimbria factam referunt[1]). *Livii* primum narrationis (cf. perioch. l. 83) excerpta apud Julium Obsequentem (56 Jahn) et Augustinum (de civ. Dei III 7) exstant. Videtur Livius Palladium proprio nomine non appellasse, cum Jul. Obs. »simulacrum antiquissimum«, Augustinus »Minervae simulacrum« tantum dicant. Sed jam Julii verba appono: »Ilio a C. Fimbria incenso cum aedes quoque Minervae deflagraret, inter ruinas simulacrum antiquissimum inviolatum stetit *spemque restitutionis oppido portendit.*« Quibuscum plane consentit alter qui exstitit auctor *Appianus* (p. 669, 53 Bekk.): *καὶ οἰκόπεδον οὐδὲν αὐτῆς* (sc. *Ἰλίου*) *οὐδ' ἱερὸν οὐδ' ἄγαλμα ἔτι ἦν· τὸ δὲ τῆς Ἀθηνᾶς ἕδος, ὃ Παλλάδιον καλοῦσι καὶ διοπετὲς ἡγοῦνται, νομίζουσί τινες εὑρεθῆναι τότε ἄθραυστον, τῶν ἐπιπεσόντων τειχέων αὐτὸ περι-*

1) Vid. Haubold, l. c. 39.

χαλυψάντων. Vtrumque scriptorem ex eodem auctore narrationem suam sumpsisse conjicio, *Posidonium Rhodium* dico, ex quo pleraque fluxerunt quae et apud Livium et apud Appianum de bello Mithridatico priore exstant. Quae sententia si recte se habet commemoratione dignum videtur, »Palladii« nomen quod in suo auctore legerit Livium reticuisse; nec mirum tamen, cum de Palladio, ut postea videbimus, longe alia narraverit. *Auctor de viris illustribus* [Aurelius Victor] totum Minervae templum intactum remansisse narrat.

A *Servio* autem (ad Aen. II 166) valde ab his abhorrentia traduntur, quippe qui Palladium inde a tempore quo vetus Troja a Graecis deleta est usque ad expugnationem a Fimbria factam »intra extructum parietem absconditum fuisse«, atque tum Romam advectum fuisse narret. — Res tamen ab eo conturbatas esse puto, cum Palladium jam prius Ilii palam expositum esse e nummis appareat. Ex quibus autem rebus confusio fortasse exstiterit infra ostendam.

Si nunc quaerimus quo modo suum Minervae simulacrum ex Trojae excidio servatum esse Ilienses narraverint, cum nullum de his rebus exstet testimonium, ad conjecturas confugiamus necesse est. Quarum duae se offerunt.

Novum Ilium enim a Trojanis esse conditum, qui ex urbe incensa fugissent atque paulo post iterum pristino loco consedissent, traditione sine dubio narrabatur. Vid. Hellanicum (ap. Dion. Hal. I 47), Dion. Hal. I 53, Tzetz. ad Lyc. 970, qui talia referunt. Vnde conjiciat quispiam Ilienses eodem modo atque Siritas narravisse Palladium a fugientibus Trojanis servatum esse. Apud duo scriptores laudatos (Dion. et Tzetz.) Trojani ab Aenea ipso Ilium deducuntur; quae versio procul dubio notis Iliadis (XX 307 sq.) et hymni Homer. in Ven. (196 sq. cf. Strab. 608) versibus nitebatur. Estne inde concludendum Palladium in Iliensium fabulis ab Aenea servatum esse?

Ego quidem alteram conjecturam rectius se habere puto.

Ilienses enim, quod ex Strabone (600) discimus, urbem suam eandem esse ac Trojam Homericam contendebant neque prorsus ab Achivis dirutam neve unquam desertam fuisse. Quo testimonio fretus suspicor fabulam exstitisse qua Palladium inter ruinas templi Minervae inviolatum repertum esse atque sic »spem restitutionis oppido portendisse« perhibebatur. Haec conjectura duabus rebus confirmatur. Primum enim ad antiquam illam fabellam ea efficta essent quae de urbis expugnatione a Fimbria facta narrabantur. Res autem historicae ut sic ad fabulas mythologicas conformentur saepius accidit. Tum Servii locum adhibere licet, ubi quae ad prius quaeque ad alterum urbis excidium pertineant permixta esse mihi videntur. Confusionis elementa saltem retineri possunt: »Quamquam alii dicant, simulacrum hoc a Trojanis absconditum fuisse intra extructum parietem postquam agnoverunt Trojam esse perituram.«

§ 10. Roma.

Romani denique simulacrum Trojanum se possidere contenderunt.

Fabulas quae de Palladio agebant Romae jam mature vulgatas esse ex Plauti verbis (Bacch. 953 sq.) atque ex artis operibus Romanis apparet, quorum antiquissima saeculi I a. Chr. n. esse vidimus (p. 14).

Minervae vero simulacrum Romam advectum esse primus *Cicero* testatur in oratione *pro Scauro* a. 54 habita: » . . Palladium illud, quod quasi pignus nostrae salutis atque imperii custodiis Vestae continetur, . . . divinum incolumitatis nostrae pignus.« Et postea in *Philip.* XI 10, 24: »signum quod de caelo delapsum Vestae custodiis continetur; quo salvo salvi sumus futuri.« Quamquam enim Palladium Trojanum a Cicerone significari Wissowa in dubium vocavit[1]), res tamen mihi quidem certissima videtur esse, cum haud perspiciam quod

[1]) Hermes XXII 28 sqq. (Die Ueberlieferung über die römischen Penaten), p. 43: Dass dies das troische Palladium sei, hat wohl erst Varro behauptet; Cicero sagt nichts davon.

Palladium »pignus salutis publicae« esse possit, nisi signum Trojanum, quod quidem »de caelo delapsum« esse vulgo tradebatur.

A *Dionysio Halicarnasensi* (I 68, 69. II 66) et a *Strabone* (264) Palladium Trojanum in templo Vestae absconditum esse apertis verbis confirmatur.

Cum deinde Vergilius de Palladio Romam allato nihil dicat (causam autem cur id fecerit infra attingam), omnes qui sequuntur poetae caeleste signum in fano Vestae servatum esse pro certo habent: *Ovid.* Fast. VI 424, 435 sq.[1]) *Propert.* V 4, 45 sq. *Juvenal.* I 3. 138 sq. *Stat.* Silv. V 3, 178 sqq. Atque Palladium in templo Vestae conservari etiam publica ratione putatum esse ex *nummis* elucet, in quibus inde a Galbae temporibus Vestas simulacrum Trojanum manu tenens saepius exhibetur, ut in prima dissertationis parte vidimus (no. 17 p. 22). Ampliora ex nonnullis verbis *Lucani* colligi possunt, ex quibus apparet strictissime interdictum fuisse ne vir signum aspiceret; immo soli principi Vestalium sacri simulacri conspectus concedebatur (IX 993 sq. I 597 sq.) In remoto quodam igitur templi Vestae penetrali Palladium conditum esse homines credebant,[2]) atque Lucani testimonium his *Herodiani* verbis confirmatur (I 14): *τὸ τῆς Παλλάδος ἄγαλμα, ὃ σέβουσι καὶ κρύπτουσι Ῥωμαῖοι κομισθὲν ἀπὸ Τροίας, ὡς λόγος· ὃ τότε πρῶτον καὶ μετὰ τὴν ἀπ' Ἰλίου ἐς Ἰταλίαν ἄφιξιν εἶδον οἱ καθ' ἡμᾶς ἄνθρωποι.* Cf. V 6.

Erant sane qui omnino quidquam a Vestalibus custodiri negarent (Dion. Hal. II 66. Plut. Cam. 20, qui tamen haec addit: *καὶ πλεῖστος μὲν λόγος κατεῖχε τὸ Τρωϊκὸν ἐκεῖνο Παλλάδιον ἀποκεῖσθαι*).

Novae opinioni, Palladium custodibus Vestae teneri, nonnullas superstitiones Italicas vel proprie Romanas valde favisse puto. Etenim Palladium imperii aeterni pignus esse ferebatur, Romam simul aeternam atque ejus incolumitatem in sacris

[1]) Cf. 445 ubi Palladium „pignora fatalia" nominatur cum verbis Ciceronis supra allatis.

[2]) Preller-Jordan, Röm. Myth.² 163.

quibusdam positam esse ducebant, quae in templo Vestae occultata essent. Atque ut in hoc templo Palladium custodiri homines crederent sine dubio ea de causa factum est. Huc accedit quod in tutela Minervae urbs esse credebatur, — ancile deinde notissimum Numa regnante de caelo ut Palladium desiluisse fama erat. Cum Palladii raptus denique fabula Graeca incantationes illae Romanae consentiunt, quae nobis a Plinio (N. H. 28, 4, 18) et Macrobio (Sat. III 9) servatae sunt; atque huc narratio pertinet qua Camillus Junonem Vejentium evocavisse et urbe capta deae effigiem Romam attulisse dicitur (Liv. V 21, 22. Cf. VI 29).

Illud autem Trojanum templi Vestae simulacrum mirum in modum cum narratione conjungi solebat quae ad veterem Romam pertinet. Cum belli Punici primi temporibus a. 241 templum Vestae arderet Vestalesque perterritae fugerent, L. Metellus pontifex maximus in medios se injecit ignes atque Palladium e flamma eripuit. Oculos perdidit, sed curru ad curiam vehi populus ei permisit.

Sic traditione referebatur, atque in plerisque consentiunt scriptores ex quorum numero narrationem vulgatissimam fuisse elucet. Primus *Cicero* (pro Scauro 48) rem refert; *Livius* eam in l. 19 narrabat, quem ipsum praecipue Palladii mentionem fecisse, quamquam in epitome »sacra« tantum legitur, ex libro XXVI, 17, 14 [1]) et ex excerptoribus [2]) apparet. *Ovidius* deinde eventum multis verbis in Fastis (VI 437 sqq.) depinxit. Eadem habet *Plinius* N. H. VII 141, vid. etiam *Juven.* I 3, 138,

[1]) „Conditum in penetrali fatale pignus imperii Romani." Cf. V 52: „Quid de aeternis Vestae ignibus signoque, quod imperii pignus custodia ejus templi tenetur, loquar?"

[2]) Valerius Maximus I 4,5, Augustinus de civ. D. III 18. Valerii Max. verba affero ut quo prodigio res amplificata fuerit videas: „Cum Metellus pont. m. Tusculanum petens iret, corvi duo in os ejus adversum veluti iter impedientes advolaverunt vixque extuderunt ut domum rediret. Insequenti nocte aedes Vestae arsit, quo incendio Metellus inter ipsos ignis raptum Palladium incolume servavit."

VI 265, XV 109, *Plin.* Paneg. 88, *Senec.* Contr. IV 2, *Ps.-Plut.* Par. 17.

Admirationem movet quod cum templum Vestae frequenter vel arserit vel igni imminente ita pressum sit ut Vestales sacra eripuerint, hoc uno in incendio Palladii mentio facta est.[1]) Atque hoc eo mirabilius fit quod (ut e Dionysio Hal. II 66 comperimus) signum Metelli in Capitolio stabat inscriptione ornatum, in qua »sacra (*ἱερά*)« tantum a pontifice maximo e templo ardenti servata esse legebatur. — Res fortasse ita explicari potest: Metellum flammarum ardore caecatum esse, etsi id non ab omnibus scriptoribus traditur, pro certo habeo. Religione autem Romana severissime, ut antea vidimus, interdictum erat, ne vir signum Trojanum conspiceret; atque Graeci certe credebant fore ut is oculos perderet qui sacrum simulacrum aspexisset (p. 41). Quam superstitionem Romae notam esse conjicere licet. — Nunc jam vides ex quibus rebus fabella exstiterit: Metellus eo ipso caecatus esse recentioribus visus est, quod sacrum signum aspexisset.[2])

Sed nunc ad quaestionem venio, quonam modo Palladium Trojanum Romam advectum esse homines narraverint.

Huc ea primum pertinent quae a *Dionysio Halic.* I 69 traduntur: . . *ἁλισκομένης δὲ τῆς κάτω πόλεως* (sc. Trojae) *τὸν Αἰνείαν καρτερὸν τῆς ἄκρας γενόμενον, ἄραντα ἐκ τῶν ἀδύτων τά τε ἱερὰ τῶν μεγάλων θεῶν καὶ ὅπερ ἔτι περιῆν Παλλάδιον* (*θάτερον γὰρ Ὀδυσσέα καὶ Διομήδην νυκτός φασιν εἰς Ἴλιον ἀφικομένους κλοπῇ λαβεῖν*) *οἴχεσθαί τε κομίσαντα ἐκ τῆς πόλεως καὶ ἐλθεῖν ἄγοντα εἰς Ἰταλίαν.* Quibuscum conferenda sunt ejusdem Dionysii verba II 66, ex

[1]) In incendio a Gallis facto Pall. non commemoratur nonnullis tamen *Silii Italici* (XIII 62) versibus plane rhetoricis exceptis. A. 47 iterumque a. 14 a. Chr. n. ignis templo imminet; Dio Cassius tamen (42,31 et 54,24) „sacra" tantum a Vestalibus servata esse tradit. Nec Tacitus, cum incendium a Nerone factum commemorat (XV 41), Palladii mentionem facit.

[2]) Cf. Seneca. Controv. IV 2: „. . habes, Vesta, duplex pontificis tui meritum: servavit sacra nec vidit."

quibus elucet re vera de eo Palladio agi quod templo Vestae continebatur. — Totum autem illum Dionysii locum (I 61 et 62, 68 et 69) ex *Varronis Antiquitatum rerum humanarum* libro altero desumptum esse Wissowa ostendit (Hermes XXII 40). Varro igitur ab Aenea Palladium Troja incensa servatum atque in Italiam apportatum esse volebat. Quaeritur quam antiqua haec traditio sit atque unde ad Varronem fluxerit, nisi tota ab eo ficta sit.

Si enim rem diligentius consideraverimus, videbimus singulari certe ratione opinionem Romae natam esse qua Palladium a Vestalibus custodiri perhibebatur: nam cum in plerisque aliis urbibus perantiquum quoddam Palladis signum a populo pro Palladio Trojano venditatum fuerit, Romae plane nihil in templo Vestae conspiciebatur. Ex quo dubium mihi non videtur quin Palladium ibi absconditum esse vir doctus quidam litterisque Graecis eruditus primus contenderit. Varro autem is haud dubie non fuit, cum eius Antiquitates rer. hum. circa a. 47 editae sint, atque jam a Cicerone in oratione a. 54 pro Scauro habita Palladii Romani mentio fiat. Immo e modo quo Cicero de Palladio ac praesertim de Metello qui id servaverit verba facit meo judicio colligendum est, res jam satis notas vulgatasque ab eo significari. Quoniam vero talis opinio paulisper tantum fidem sibi facit, in antiquiorem aetatem nobis progrediendum est. — A Varrone autem, cum narrationem illam conscriberet quae nobis a Dionysio servata est, scriptores Graecos adhibitos fuisse constat. Quod enim ad priorem partem attinet, in qua de Palladii origine tractatur (v. infra p. 75), hoc ex oraculo hexametris graecis confecto elucet; accedit quod a Dionysio Callistratus et Satyrus e Varrone laudantur (vid. Wissowa p. 40). Cum tamen ex his auctoribus ea desumpta esse videantur quae ad Samothracem locosque pertinent ubi antea Palladium fuit, Varronem contra ea quae de Aeneae exitu narrat ex *Timaeo* hausisse Lycophrone 1263 sqq., Schol. Veron. Aen. II 717, Servio II 636 allato Wissowa recte monuit. — Timaeus de Penatibus Romanis disseruerat,

atque primus contenderat eos Romam (vel potius Lavinium) Troja ab Aenea translatos esse. Palladium autem non modo cum Penatibus artissime conjunctum est, sed etiam homini Graeco de Penatibus Trojanis quaerenti ultro animo occurrere debebat signum illud notissimum. Deest sane certum argumentum, quo comprobari possit Timaeum re vera Palladium Penatibus adjunxisse, quos Aeneas secum in Italiam attulerit; attamen duas res afferam quae huic conjecturae veri quandam speciem praebent. *Lycophro* primum (quem in versibus 1226 —1280 ex Timaeo sua sumpsisse Klausenius ostendit: Aeneas u. die Pen. 579 sqq.), πατρῷ' ἀγάλματα θεῶν quae Veneris filius secum in Italiam advexisset, denique in templo Minervae(!) consecrata esse tradit (1261 sq.). — Timaeus porro Penates Lavinii depositos fuisse volebat (Dion. I 67); Lavinienses autem Palladium Trojanorum se possidere contendisse *Strabo* (264) tradit.[1])

Concedo tamen de hac re aliquid pro certo dici non posse, — praesertim cum miro modo Dionysius de Palladio a Timaeo commemorato nihil dixerit, quamvis ea quae de Penatibus existimaverit historicus iste Tauromenitanus expressis verbis referat (I 67).

Itaque cum in medio relinquendum sit utrum Timaeus an fortasse Graecus quidam doctus qui Scipionum temporibus fuerit, Palladium Romam advectum esse primus contenderit, — illud saltem affirmari potest, hanc opinionem primo tantum saeculo a. C. n. aliquantum invaluisse.

Supra quaesivi (p. 27 sq., p. 58 Adn., p. 63), num jam a poetis graecis (Arctino) aut in fabulis popularibus Aeneas Palladium Troja eripuisse perhiberetur. Quod si re vera fuisset, facile intellegeretur quo modo nova opinio Romae exstare potuisset.[2]) Attamen hanc conjecturam semper ut nimis incertam

---

[1]) Idem esse videtur quod postea una cum Penatibus Romam translatum esse Romani quidem narrabant. Cf. *Malalas*, Chronogr. p. Ox. 213, 214, 215, 217, quocum *Cedrenus* consentit.

[2]) Hoc Preunerus existimavit (Hestia-Vesta 423 sq.): Da Aeneas

repuli, — neque quicquam obstare mihi videtur quominus in fabulis Romanis primum Aeneas cum Palladio conjunctus fuerit.

Etenim qui fabulas Siritarum aut Iliensium noverit atque Romanos quoque sese Trojanorum posteros habere sciverit, facile eo adduci potuit ut eorum imperii fatale pignus Romam allatum esse affirmaret. Ex quo necessario efficiebatur, ut ab Aenea simulacrum Minervae servatum atque novam Trojam translatum esse diceretur. [1])

Sed memorabile est traditionem qua Aeneam Palladium Troja expugnata eripuisse et in Italiam attulisse narrabatur, apud tres tantum scriptores praeter Dionysium commemorari: [2]) *Ovidium* (Fast. VI 336 sqq.), *Plutarchum* (Cam. 20), cujus verba e Dionysio fluxisse mihi videntur, *Pausaniam* (II 23,5). Nec mirum quidem, nam cum apud poetas Graecos de Palladio quod usque ad urbis excidium Trojae mansisset plane nihil legeretur, multa contra de signo a Diomede et Vlixe rapto narrarentur, evenit ut fabulae antea commemoratae auctoritas hac litterarum traditione prorsus fracta fuerit. Atque

---

nach hellenischen Angaben ausser den Heiligthümern seines Hauses das Palladium gerettet hatte (?), so mussten diejenigen, welche ihn jene nach Italien bringen liessen, folgerichtig annehmen, gewiss habe er auch das Palladium mitgebracht. — Siris a. 272 in Romanum imperium cessit; de mutuo usu qui Romanis cum Iliensibus inde a saeculi III parte altera intercesserit v. nunc Diels. Sibyll. Blätter 100 sqq.

[1]) Mira sunt quae a *Servio* (Aen. II 166, vide supra p. 63 et 64) traduntur: „Palladium . . ., quod postea bello Mithridatico dicitur Fimbria quidam Romanus inventum indicasse: quod Romam constat advectum." Quibuscum cf. *Ovidium* Fast VI 421—4, qui cum Ilii commoraretur locum Minervae templi vidit, ubi Palladium quondam stetisse ferebatur: „vidi templumque locumque. Hoc superest illi: Pallada Roma tenet." Attamen non credo Palladium Iliensium a. 85 Romam translatum esse; atque libentius mihi persuaserim res ab Ovidio ita compositas esse ne Romanorum et Iliensium Palladia inter se colliderent.

[2]) Eam significare videtur Cicero pro Milone 33: „quod te aiunt eripuisse e domo et ex mediis armis turbaque nocturna tamquam Palladium extulisse, etc."

videmus *Vergilium* raptum potius ab heroibus Graecis perpetratum narravisse (II 163 sqq.). *Ovidius*, qui ipse quoque in Metamorphosibus (XIII 336 sqq.) raptum describit, in Fastis nescit quid de fabulis secum repugnantibus judicet, VI 433 sqq.:

»seu genus Adrasti seu furtis aptus Vlixes
seu pius Aeneas (eripuisse ferunt),
auctor in incerto: res est Romana. . .«

Itaque traditione poetica monente mox jam altera orta est narratio de Palladio Romam allato, qua illud ipsum signum in templo Vestae conditum esse confirmaretur, quod Diomedes Troja una cum Vlixe eripuerat. — Duae exsistunt hujus fabellae versiones, quorum quamquam altera a Varrone altera a recentioribus poetis servata est, — haec antiquior esse mihi videtur, ut Varronem tradita de suo commutavisse mihi persuadeam. De antiquiore prius dicam.

Fuerunt ut vidimus qui Diomedis Palladium in fano Vestae absconditum esse putarent. Cum autem signum una cum sacris ab Aenea allatum esse constaret, re ipsa evenit ut Veneris filius effigiem Palladis a Diomede accepisse et postea Romam attulisse diceretur. Quae narratio eo facilius fingi potuit quod Diomedes (vel Vlixes) Aeneae in Italia occurrisse narrabatur.[1]) — Jam enumero scriptores apud quos haec versio legitur: Palladium Diomedis a Vestalibus custodiri *Statius* (Silv. V 3,178 sqq.) compertum habet; *Silius Italicus* multis verbis describit quo modo Aeneas id a Tydida Lavinii acceperit (Pun. XIII 41 sqq.). Apud *Solinum* grammaticum (II 14, p. 38 ed. Mommsen) legimus Aeneam Palladium a Diomede recuperavisse cum »in agro Laurenti« castra posuisset atque Veneri Fruti quae vocatur sacrificaret.[2])

---

[1]) Aeneae Diomedes in Italia occurrit: Ps. Arist. Mirab. 79 (nisi pro *ὑπ' Αἰνείου* -*ὑπὸ Δαυνίου* emendandum est), Dion. Hal. XII 16, Verg. Aen. VIII 9 sqq. XI 225 sqq. Ps. Plut. Quaest. Gr. X. Paus. I 11. Servius ad Aen. VIII 9 — Aeneam Vlixes offendit: Hellanicus fr. 53, Lyc. 1242 sqq.

[2]) Verba quae hoc Solini loco leguntur: „ut Hemina tradit", ad proxima tantum spectare videntur.

Servius deinde, qui ad Aen. III 545, 550, V 81 eandem traditionem respicere videtur, rem in Calabria perfectam esse vult Aeneidos versibus III 522—550 adductus. — Scriptores Byzantini denique eandem traditionem sequuntur, qui, cum simulacrum a Diomede Aeneae Beneventi oblatum esse tradant, singulas res, ut solent, multis verbis enarrant (*Procop.* de bello Goth. I 15, *Malal.* Chron. VI p. 167 ed. Bonn., *Cedren.*).

Versio altera ab uno *Varrone,* quantum scio, tradita est; cujus narratio nobis a Servio servata est, ad Aen. II 166, III 407 (= Myth. Vat. prim. ed. Mai II 142), V 704, quo ultimo loco suscriptio legitur haec: »quod etiam Varro docet in libris quos *de familiis Trojanis* scripsit.« Servii excerptum amplissimum affero (II 166): »Palladium cum postea Diomedes haberet . . . quod Varro plenissime dicit, credens sibi non aptum propter sua pericula, quibus numquam cariturum responsis cognoverat, nisi Trojanis Palladium reddidisset, transeunti per Calabriam Aeneae offerre conatus est. Sed cum se ille velato capite sacrificans convertisset, Nautes quidam accepit simulacrum: unde Minervae sacra non Julia gens habuit, sed Nautiorum.« [1])

Primo aspectu suspicio oritur Varronem narrationis finem ultro commutavisse atque etiamnunc apertum videtur esse quibus de causis hanc mutationem susceperit. Cum enim in Antiquitatibus longe aliam de Palladio ab Aenea in Italiam allato traditionem secutus esset, quamquam duo signa fuisse existimabat (siquidem ex Dionysio colligimus), etiam alterum ab eodem Aenea recuperatum et Romam apportatum esse narrare vix poterat. — Sed etiam altera causa ad hanc accedebat. — Nautiorum antiquitus sacerdotium Minervae gentile erat, atque simulacrum habebant aeneum Minervae, cui nomen »dea Nautia« adhaesisse videtur (Festus p. 166 Müller). Nautii autem gentem suam clarissimam in illarum numerum

[1]) Varro eodem loco narraverat etiam Anchisae ossa una cum Palladio Aeneae a Diomede reddita esse: Servius IV 427.

referebant, quae Trojanis se ortas esse contendebant. Quin vero a Nauta, Aeneae comite atque ipso quoque Minervae sacerdote (Verg. Aen. V 704), simulacrum illud aeneum de quo diximus Troja Romam translatum sit, Nautii minime dubitabant, atque videtur haec traditio aliquam auctoritatem sibi conciliavisse, cum a duobus scriptoribus referatur, Dionysio (VI 69) et Festo l. c.[1]).

Num hoc simulacrum »Palladium« esse Nautii affirmaverint incertum est. Varro certe cum in libris quos de familiis Trojanis conscribebat Nautiorum traditiones commemorare et cum eis quae in Antiquitatibus de Aenea protulerat conciliare deberet, res ita conformavit ut commutata fabula qua Diomedes Palladium Aeneae tradidisse perhibebatur, a Nauta signum Romam advectum esse narraret. Vt hoc autem assequeretur, narrationem adhibuit qua noti Romanorum moris, dico adoperto capite esse sacrificantes, origo ad Aeneam referebatur, qui id ne hostis cujusdam aspectu turbaretur fecisset[2]).

Cum tamen et haec Varronis figmenta et Palladium Nautiorum mox oblita esse videantur, apparet Palladium Vestae famam consecutum esse satis magnam.

Ex eo quod, cum a. 191 Vestales sacra e templo ardenti eriperent, multi Palladium viderunt (*Herodian.* I 14, 4), colligendum est his temporibus re vera aliquod signum in fano Vestae exstitisse.

Heliogabalus Palladium in penetrale dei Solis transportari jussit ut duorum deorum nuptiae celebrarentur. Novus deus tamen a signo armifero aspere repulsus esse dicitur (*Herod.* V 6, 3).[3])

---

1) Palladium Vestae et Nautiorum signum plane diversa esse jam Mommsenus de colleg. et sodalic., Kil. 1843, 10 ostendit.

2) Verg. Aen. III 396 sqq., 545. Dionys. XII 16. Plut. Quaest. Gr. X.

3) De Palladio in Palatino collocato cum ejus origo nunquam a Troja repetita fuerit, nihil dicam. Vid. Wissowa l. c. 44.

§ 11. Constantinopolis.

Quae vis denique etiam his temporibus in Palladii mytho fuerit eo optime ostenditur, quod simulacrum quippe quod imperii Trojani pignus esse crederetur, a Constantino Roma evectum et in novo Constantinopolis foro sub ejus statuam in terram defossum esse *Procopius* (de bello Goth. I 15), *Malalas* (Chr. XIII p. 320 ed. Bonn.), *Cedrenus* tradunt.

§ 12. De Palladii origine.

Jam satis verborum de Palladii mythi variis versionibus. At restat ut ea quae de illius signi origine veteres tradunt hic exponam. Cum tamen pleraque quae huc pertinent mera mythographorum inventa sint, ceteraque cum aliis fabulis conjuncta sint, ad quarum aetatem disquirendam accedere non possum, scriptorum testimonia componere brevibusque verbis illustrare satis habebo.

Illud primum respiciendum est, omnes poetas ne uno quidem excepto tradidisse Palladium de caelo delapsum (*διοπετές*) vel a Jove datum esse, atque ea quae de Palladii antequam Trojam perveniret migrationibus narrantur, apud mythographos tantum compilatoresque exstare.

Quos affero scriptores nihil amplius praebent nisi Palladium de caelo lapsum esse: *Pherecydes* (FHG fg. 101) qui omnino vocem *Παλλάδια* explicabat *τὰ βαλλόμενα εἰς γῆν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἀγάλματα*; *Conon* (34), *Appianus* (p. 669, 53) ex cujus verbis colligo talia de suo Palladio Ilienses narravisse; *Cicero* Phil. XI 10, 24. A Jove autem Palladium Dardano datum esse *Arctinus* tradiderat, antiquissimus poeta, quem in hoc quidem secutus est *Quintus Smyrnaeus* (X 360). Minervae signum Ilo regnante de caelo desiluisse narrant *Lycophron* (361 sqq.), *Ovidius* (Fast. VI 419); *Suidas* contra (s. v. *Παλλάδιον* = Schol. Il. VI 311) et *Tzetzes* (ad Lyc. 363) Troi id datum esse contendunt. Singularia sunt quae ab *Antisthene* (?) traduntur, Palladium a Paride una cum Helena ex Graecia Trojam translatum esse (Od. 3).

Si jam ad mythographos accedimus, videmus se Palladium jam ad Trojanorum regum majores retulisse, atque simulacri Minervae originem ab illis regionibus repetiisse ex quibus Dardanus in Asiam immigrasse dicebatur.

Cum enim in antiquis fabulis Electra Dardani mater diceretur (Hellanicus frg. 129 et 56. Cf. Il. XX 215 sqq.), Palladium ejus anathema fuisse nonnulli narraverunt (*Schol. in Eur.* Phoen. 1139. Apud *Apollod.* quoque Electrae sermo est in loco obscuro de quo infra dicam).

Atque cum jam Hellanicus (fg. 129 FHG) Dardanum ex Samothrace insula in Phrygiam migrasse tradidisset, alii Palladii originem ex hac insula, quippe quae mysteriis suis notissima facta esset, repetierunt (*Servius* II 166. Cf. II 325).

Fuerunt qui, eo moti quod Electra Atlantis erat filia, Trojanorum regum stirpem ex Arcadia deducerent; cujus opinionis *Dionysius Halicarnasensis* testis gravissimus exstat (I 61, 62). Et Palladiorum (duo enim fuisse narrat) originem Dionysius I 68 ex Arcadia repetit. Dardano a Chrysa uxore simulacra data esse tradit quae a Minerva ipsa ea accepisset. Primum in insulam Samothracem tum in agrum Trojanum a Dardano deportantur. — Atque hanc traditionem jam apud scriptores Graecos (Callistratum vel Satyrum?) exstitisse ex oraculo apud Dionysium commemorato apparet (cf. verba *δῶρα Διὸς κούρης ἀλόχῳ σέθεν*). Eandem versionem jam *Mnaseas* videtur secutus esse (Steph. Byz. *Δάρδανος*: FHG III 154 fg. 28), qui tamen de uno tantum Palladio loquitur.

Jam apud Dionysium Pallas quidam, Chrysae pater, commemorabatur; — cum longe alia sint ea quae ab *Apollodoro* (III 12,3; locum exscripsit Tzetzes ad Lyc. 355) traduntur, tamen in his quoque nomen »Pallas« occurrit. Mythographus enim iste narrat Minervam apud Tritonem educatam esse, cuius filia erat Pallas. Cum aliquando rixarentur puellae atque Pallas Minervam vulneratura esset, Jovem aegida ante ipsam praetendisse; Palladem cum subito territam occidisset Minerva, mortem amicae se luxisse, simulacrum ejus fabricavisse

atque apud Jovem constituisse; ὕστερον δὲ Ἠλέκτρας μετὰ τὴν φθορὰν τούτῳ προςφυγούσης, Δία ῥῖψαι μετ' Ἄτης[1]) καὶ τὸ Παλλάδιον εἰς τὴν Ἰλιάδα χώραν; Palladio ab Ilo templum tum conditum esse.

Alia leguntur apud *schol. ad Il.* VI 92, *Eustathium* ad Il. VI 91, *Firmicum Maternum* c. 17 (ed. Halm), qui Palladium cute humana indutum esse narrant, Pallantis, patris Minervae, quem occidisse dea ipsa dicebatur (Cic. de nat. deor. III 59).

Quas omnes narrationes ut fingerent mythographi nulla alia re quam vocum Palladii et Palladis vel Pallantis similitudine adducti esse mihi videntur.

Clemens Alexandrinus (Protr. IV 47), quem exscripserunt Arnobius (adv. nat. ed. Reiffersch. p. 161) et Firmic. Mat. (c. 15), Palladium ex ossibus Pelopis compactum esse prodit, auctoremque suum laudat *Dionysium Rhodium* (FHG II 10. fg. 5). — Haec traditio originem suam duxit ut puto ex eo quod oraculum Graecis editum erat, Trojam nisi advectis ossibus Pelopis expugnari non posse, cujus oraculi (ut ejus quod ad Palladium spectabat) auctorem nonnulli Helenum afferunt (vid. Lycophr. 53 sqq. Tzetz. ad l. et ad 911, Posthom. 575., Paus. V 13,3).

Scriptores denique infimae aetatis narrant Palladium ab Asio quodam artifice et philosopho fabricatum esse; cujus sententiae auctor *Joannes Antiochenus* (FHG. IV 551 frg. 24,7) videtur esse, quem postea exscripserunt Suidas (Παλλ.) = Schol. Il. VI 311, Tzetz. ad. Lyc. 363, 355, Malalas, Cedrenus.

Non Asium, sed Abarim Scytham Minervae simulacrum fecisse *Firmicus Maternus* (c. 15) tradit; de quo homine fabuloso Hyperboreo vide jam Herod. IV 36.

[1]) Cf. Hesych. Ἄτης λόφος, Steph. Byz. Ἴλιον (ed. Mein.).

III.

Conclusio.

Vsque eo exponere conatus sum quo modo Palladii mythus a poetis pertractatus sit quaeque de illo signo in multis Graeciae, Asiae, Italiae urbibus servato narrata sint; — nunc in universum de mythi historia pauca dicam. Etenim quamquam vereor ne scriptorum monumentorumque testimonia tam discrepantia ac lacunosa fortasse nimis expedite ad easdem versiones retulerim — tamen satis multas traditiones restitui, quas, cum omnes ad eandem rem, Palladium Trojanum, pertineant, quadam ratione inter se conjunctas esse necesse est. De qua nunc quaeritur.

Vidimus novum quemdam mythum, — qui Homero nondum notus fuit — in carmina cyclica quae vocantur receptum esse, atque ab eo typum signi Minervae Trojanae simul illatum esse, qui valde ab antiquiore abhorrebat; nam cum priscum simulacrum sedens effictum esset, hoc dea stans in armis repraesentabatur. Ex quo facto confusio non parva exstitit atque apparet antiquum typum novo a sede sua plane remotum esse.

Inde perspicuum est fabulam de qua quaeritur ab antiquo cyclo epico alienam fuisse atque aliunde originem suam duxisse. Ubinam igitur et ex quo orta sit inquirendum est.

Atque si poetas epicos eam minime de suo finxisse constat, nihil nobis restat nisi ut fabulas adeamus quae in variis urbibus Graecis de Palladio Trojano exsistebant.

Athenis primum figmenta nonnulla de signo Trojano jam ante Arctini et Leschae tempora exstitisse judicavimus; sed non solum valde ab eis abhorrent quae a poetis cyclicis narrantur,

sed etiam ipsa ex aliis fabulis antiquioribus exorta esse nobis visa sunt, e *fabulis Argivis.* Ad hanc igitur urbem veniamus.

Atque primum quidem Diomedes qui fere semper primas in Palladio rapiendo suscipit partes Argivorum dux est, tum huic uni urbi nullis aliis fabellis opus erat, ut Palladium sibi apportatum putaret, quam quae in carminibus epicis legebantur; neque vero ullam traditionem reperimus proprie Argivam. — Ex his manifesto elucere mihi videtur fabulas ipsas Argivas a poetis epicis electas et retractatas esse. — Quae quidem ab his poetis adjecta vel commutata sint infra quaeram; — nunc, ut sententiam meam confirmem, quo pacto fabula Argis oriri potuerit explicabo.

Ac primum totius fabulae initium hoc fuisse mihi videtur, ut signum antiquum Palladis quod in templo quodam conspiciebatur, pro statua Minervae Trojanae ab Argivis venditatum sit. — Nec singulare hoc quidem. Immo saepius in urbibus Graecis deorum simulacra quae aspectu suo antiquissimo hominum admirationem movebant ex remotis regionibus olim advecta esse credebantur. Exempla quae ad Argos tantum pertinent afferam. Signum ligneum Iunonis antiquissimum Tirynte ereptum, Dionysii *ξόανον* ex Euboea ab Argivis e bello Trojano redeuntibus allatum esse homines narrabant.[1]) Sed quid? quod Argivi hujus generis sacrorum originem libentissime e Troja repetiisse videntur? In Heraeo enim Euphorbi clipeus a Menelao dedicatus ostendebatur[2]), Mercuriique *ξόανον* opus Epeii esse fama ferebat; ut exemplum denique commemorem quod maximas cum hac re similitudines praebet, — *ξόανον* Iovis quod in templo Minervae in arce sito stabat pro illo celeberrimo Jove *ἑρχείῳ* Laomedontis venditabatur, in cujus ara Priamum occisum esse fama erat. Quod quidem signum Sthenelum ut exuviarum partem obtinuisse et in urbem

[1]) Paus. II 11,5, Cl. Alex Pr. IV 41 P. — Paus. II. 23,1.
[2]) Paus. II 17,3.

suam attulisse Argivi tradebant. (Paus. II 24,3. VIII 46,2). — Nihil igitur miri habet et Palladis signi cujusdam originem a Troja repetitam esse.

Si ultra progredimur, e fabulis Atheniensibus elucet signi Trojani possessionem tum ad Agamemnonem, tum ad Diomedem ab Argivis relatam esse. Quocum optime convenit, Argos in antiquioribus Iliadis partibus (II 107, IX 141, I 30) Agamemnonis esse, cum in catalogo navium (II 559 sqq. cf. XI 46) Diomedi tribuatur. — Quo modo vero illud signum Agamemnon obtinuerit non sine quadam veri specie conjicere licet, cum pleraque alia simulacra Troja ab heroibus ut pars spoliorum quae ipsis obvenerat apportata esse dicerentur. Ad Agamemnonem vero signum Minervae una cum Cassandra pervenisse verisimile est, quod in urbis expugnatione etiam postquam ab Ajace ara detracta est amplexa esse dicebatur. (Paus. X 26,3, Polygnoti picturam describens. Arctini hyp. ap. Proclum).

Quo tempore poetarum narrationes Diomedem Argivorum ducem fecerunt, ad hunc Palladii possessio translata est. Sed Diomedes simulacrum Minervae minus commode obtinere poterat cum urbe capta praeda distribueretur. Itaque credo Palladii raptus fabulam propter hoc ipsum fictam esse, ut melius intellegeretur quo modo signum Trojanorum in Diomedis manus venerit.

Etiamsi vero sic mythi contexendi occasio data sit, tamen quaerendum est quemadmodum ex Graecorum indole haec fabula nata sit.

Nonnulla momenta huc pertinere videntur, quae breviter exponam.

Graeci saepius parum stricte inter deum ejusque simulacrum distinxerunt, atque sibi persuadebant ut deus certe aliquo modo signo detineretur. Habes nonnulla exempla quae ad civitates Argivorum proximas pertinent: Spartiatae in expeditionibus Tyndaridarum effigies secum ferre solebant (Herod. V 75); Aeginetae quotiens bellum inierunt Aeacidarum simu-

lacra secum vehebant (Herod. V 80), — qui etiam, cum Epidaurum expugnare vellent, duo signa deorum Epidauriorum eripuerunt atque in urbem suam transportarunt (Herod. V 83. Cf. Thuc. II 74). Tegeatae denique putabant urbem suam cincinno Minervae inexpugnabilem esse factam (Paus. VIII 47,4. Apollod. II 7,3).

Satis nota sunt ea quae de deis in quorum tutela unaquaeque erat civitas Graeci crediderunt.

Vt autem ejus generis superstitiones ad Minervam Poliadem Trojanorum ejusque simulacrum Graeci referrent multis adducebantur. Erat enim hoc omnino antiquissimum dei simulacrum quod in ipsorum traditionibus Graecis occurreret. Quod quidem miris fabulis mox jam celebratum esse quis mirabitur? — In carminibus vero Homericis Hecuba cum ante illud simulacrum stat Minervam „ἐρυσίπτολι“ appellat, (Il. VI 305) atque peplum duodecimque juvencas ei offert, »ut urbem conservet«. Quae si a dea ad ejus simulacrum transfers, jam vides cur ex urbe id eripi necesse fuerit, si modo Graeci Trojam expugnare vellent. Jam apud Arctinum Palladii origo divina est, et quamquam signum genuinum dum urbs capta est Trojae remansisse in illius carmine tradebatur, — civitatis fortunam plus minusve jam ad illud referri ex eo apparet quod tam anxie in intimo templo conservabatur.

Quodsi poetae cyclici praecipua suarum narrationum momenta ac imprimis Palladii typum de fabulis Argivis sumpserunt, conjicere licet etiam id ex his fabulis fluxisse quo genuinum Palladium agnoscebatur, dico oculorum mobilitatem (p. 43), quacum conferas velim Minervae a Diomede Argis consecratae cognomen »Oxyderces«. — Argivi multis deis illam oculorum aciem tribuerunt; nota sunt ea quae de Argi sui herois eponymi oculis innumerabilibus narrabant, sed etiam Iovis ξόανον quod Troja avectum esse dicebatur tres habebat oculos. — Atque si recte haec sententia se habet, apparet vim illam mirificam Palladii ex antiquis Argivorum fabulis originem suam duxisse, atque — quod magni quoque

est momenti, simulacrum quod Argivi pro signo Trojano venditaverunt nullum aliud fuisse quam Minervae Oxydercis effigiem.

Nec fabulas Argivas quibus Palladium a Diomede raptum esse perhibebatur in carmina epica pervenisse quisquam mirabitur, cum eas jam antea satis vulgatas fuisse ex *Atheniensium* narrationibus appareat. Nam haud dubium mihi videtur quin cum Argivis simultate moti fuerint Athenienses ut palladii sui cujusdam originem ipsi Troja repetierint. Etenim haec contentio in omnibus eorum narrationibus apertissime expressa est. Atque inde fabellas illas de duobus Palladiis a Diomede et Vlixe raptis ortas esse supra ostendi.

Ex eo autem quod signum Trojanum Athenis non in arce conservabatur apparet Athenienses id nunquam salutis vel fortunae suae pignus habuisse. Immo ut hujus Minervae quae una cum Jove culta erat simulacrum pro signo Trojano haberent fortasse nulla alia re moti sunt, nisi quod ei antiquitus nomen Palladii adhaerebat.

Si nunc ad *poetas* venimus qui fabulam in carmina epica introduxerunt, duas res consentaneum est eis imprimis propositas fuisse: primum ut raptum accuratius depingerent novisque fictionibus exornarent, deinde ut novam narrationem cum ceteris fabulis a se descriptis conciliarent.

Sic probabiliter ab eis adjectum est Palladium rapiendum esse Helenum prodidisse quippe qui omnino fata Trojana aperuisse diceretur. Verisimile deinde videtur in his primum carminibus Vlixem Diomedi comitem datum esse. Tum rixa inter heroes redeuntes orta probabiliter huc pertinet.

Quo tempore autem opinio exstiterit Trojam expugnari non posse nisi Palladio erepto, atque num jam in Iliade parva oraculum Dardano editum commemoratum sit difficile est dictu. Antiquissimum testimonium apud Antisthenem (Od. 3) exstat. Vide deinde Plautum (Bacch. 953 sq.) qui sua pro-

cul dubio ex comoedia Graeca nova hausit. Oraculum quinque hexametris confectum Dionysius Hal. (I 68) servavit.

Quod ad alterum attinet momentum, illud praesertim offendere debebat quod Minervae simulacrum traditione antiquiore usque ad finem belli in templo suo stetisse perhibebatur, cum Cassandra id in urbis expugnatione amplexa esset. Hanc ut solverent difficultatem poetae cyclici duas vias videntur ingressi esse. Arctinus (nam Palladium apud eum ab Aenea ablatum esse non puto, cum hujus traditionis plane nullum vestigium ante Varronem exstet, atque unde orta sit etiamnunc explicari possit) signum quod Trojae mansit dum urbs expugnata est genuinum Palladium, alterum vero — a Graecis raptum dico — falsum μίμημα esse tradebat. Lesches inter Minervae signum ad quod Cassandra confugit cuique nullum nomen proprium tribuisse videtur, et »Palladium« de caelo lapsum, a Diomede et Vlixe raptum, distinxit.

Non usquequaque tamen hanc distinctionem paulo subtiliorem praevaluisse ex eo apparet quod haud paucae urbes (Siris, Ilium, Roma) illud ipsum »Palladium« se possidere contendebant quod Hecuba peplo ornavisse et Cassandra amplexa esse dicebantur. Cui quidem signo neque Palladii Argivi species neque origo divina visque fatalis desunt. — Sed quid? quod in antiquissimis nigrarum figurarum vasculis quae Cassandram ab Ajace ara detractam exhibent, simulacrum quod Cassandra tenet Palladii speciem prae se fert? Jam sentis quam antiqua aetate Palladii typus omnino ad Minervam Trojanam translatus sit,[1]) atque inde conjicies et has vasorum picturas et civitatum quas enumeravimus fabulas antiquae narrationis poeticae auctoritate nisas esse. Quae si recta sunt eo probabilior conjectura videtur, apud Arctinum ad »Palladium« in urbis expugnatione Cassandram fugisse.

[1]) Aliam explicationem dedit v. d. E. Curtius Arch. Zeit. 1882 p. 160: „In Ilion war die Athena-Polias ein Sitzbild. Attische Künstler haben die Gestalt ihres heimischen Gnadenbildes ohne Bedenken auf nicht-attische Scenen übertragen."

Exstiterunt qui fabulas discrepantes conciliare studuerint atque duo genuina Palladia fuisse contenderint, quorum alterum a Diomede et Vlixe raptum, alterum a Trojanis fugientibus ablatum esset. Mythi sic conformati primum testimonium apud Dionysium exstat, quem sua ex Varrone sumpsisse vidimus. Quin tamen haec ex auctore Graeco antiquiore fluxerint, nemo dubitabit qui oraculum Graecum a Dionysio laudatum inspexerit (Cf. verba *τάδε σεμνὰ . . δῶρα*).

Vides quantum in Palladii fabulis conformandis commutandisque valuerit virorum doctorum arbitrium.

Sentententiae controversae.

I.

Plat. Gorg. 509 B. ἀλλὰ πολλὴ ἀνάγκη ταύτην εἶναι τὴν αἰσχίστην, <ταύτην τὴν> βοήθειαν μὴ δύνασθαι βοηθεῖν κ. τ. λ. scribendum esse puto.

II.

In Socraticorum quae feruntur epistulis ed. Hercher p. 630,16 πλησιαζόντων τῶν βαρβάρων pro σταδιαζόντων reponendum est. Cf. Herodot VII 173.

III.

In Speusippi epistula ad Aristotelem missa, ed. Hercher p. 633,38 ἀποδώῃς δ' ἂν εἰ παραγενόμενος <εἰς> τὴν Ἀκαδήμειαν <τὸν> Περίπ<ατον συνέχοις> lego. Cf. supra l. 17.

IV.

Asconius in Milonianam ed. Kiessling et Schoell p. 30,20. „semianimem Clodium extractum . . . . in via Appia occisum esse". Verba „in publicum" supplenda esse ostendit locus similis p. 35,18.

V.

Aeneam apud poetas Graecos aut in fabulis popularibus Graecis Palladium obtinuisse demonstrari non potest.

Vita.

Natus sum Fernand Chavannes a. h. s. LXVIII mensis Augusti die XV Lausonnii patre Juliano, matre e gente Carrard. Fidei addictus sum evangelicae. Gymnasium Galliardi auspiciis florens frequentavi, inter cujus professores W. Cart optime de me meritum pio animo semper colam. Maturitatis testimonio autumno a. LXXXVI instructus studiis philologicis et archaeologicis operam daturus universitatem Bonnensem adii. Autumno a. LXXXVIII Berolinum me contuli.

Docuerunt me vv. dd. Buecheler, Dove, R. Kekulé, Luebbert, Nissen, Thode, Usener Bonnenses, — Curtius, Deussen, Diels, Kirchhoff, Robert, Vahlen Berolinenses. Proseminarii philologici Bonnensis fui sodalis. Kirchhoffii et Vahleni erga me benevolentia factum est ut in seminarium philologorum Berolinensium reciperer, cujus per sex menses fui sodalis ordinarius. Exercitationibus historicis ut interessem Nissen, archaeologicis Kekulé, Robert benigne concesserunt.

Quibus viris omnibus gratiam habeo maximam, imprimis Usenero, Kekuléio, Roberto quid debeam nunquam obliviscar.

Imprimis A. Haack, Berolini NW. 7., Dorotheenstr. 55.

De Pegaso.

Dissertatio Inauguralis Philologica

Quam Scripsit Et

Amplissimi Philosophorum Ordinis

Consensu Et Auctoritate

Ad Summos In Philosophia Honores

In

Universitate Litterarum Viadrina Vratislaviensi

Rite Impetrandos

Die XII. M. Novembris A. MCMI Hora XII, 30

Una Cum Sententiis Controversis In Aula

Leopoldina Publice Defendet

Franciscus Hannig

Silesius

Adversarii Erunt:

Gustavus Türk, Dr. Phil.

Josephat Mikolajczak, Cand. Phil.

Vratislaviae

M. & H. Marcus

Haec commentatio reliquis capitibus aucta propediem edetur in
„Breslauer philologische Abhandlungen vol. VIII.“

RICCARDO FOERSTER

S.

Fabulae quae de Pegaso feruntur, a duobus viris doctis diligenter quidem tractatae sunt: Lenzio[1]) et Krahnero[2]); sed eorum dissertationes quamquam omni laude dignae sunt, tamen ob eam maxime causam obsoleverunt, quod tempore progrediente materia argumenti multum aucta est. Praeter hos nonnulli viri docti occasione data de hac vel illa fabula verba fecerunt, sed propter hanc ipsam rem, quod non universas respexerunt, haud raro in errores inducti sunt. Quae cum ita essent, continuam fabularum memoriam recolere non inutile videbatur.

Hanc autem disserendi viam inibimus, ut primum de fabulis quae cum Pegasi ortu cohaerent, deinde de Pegaso cum Bellerophonte coniuncto, tum de Pegasi fontiumque conexu dicamus. Perlustratis autem singulis fabulis de alis Pegaso attributis, de nomine eius, de fabulae explicationibus verba faciemus.

A.

De fabulis quae ad Pegasi ortum pertinent.

I. De Pegasi parentibus.

1. Pegasum Neptuni et Medusae filium esse omnibus uno excepto locis traditum est. Uno autem loco quo alia Pegasi genealogia invenitur, Pegasis quaedam eum peperisse dicitur. Qui exstat apud Verrium Flaccum: *hippius, i. e. equester Neptunus dictus est, vel . . . . vel quod Pegasus ex eo et Pegaside natus sit . . . .* (Paulus Fest. s. v. hippius p. 101, 11 Mueller). Quod e Graeco fonte repetitum esse vox ipsa *hippius* demonstrat. Cum autem Pegasidi voci notio et

[1]) Über die Fabel des Pegasus, Neuer teutscher Merkur (1796) II p. 263 sq.

[2]) Ersch und Gruber, Allgemeine Encyclop. der Wissensch. und Künste s. v. Pegasus p. 455 sq. (1840).

nymphae et Musae subsit, quaerendum est, utra in hac genealogia statuenda sit. Ac nymphae notionem habet vox loco Quinti Smyrnaei (III 300/1):

'Ατύμνιος] ὅν ποτε νύμφη
Πηγασὶς ἠΰκομος σθεναρῷ τέκεν Ἠμαθίωνι.

Et nympharum generis significatio voci inest apud Ovidium (Heroid. V 3):

Pegasis Oenone, Phrygiis celeberrima silvis,

quae v. 10, 11 etc. nympha vocatur, et apud Columellam (X 263):

nunc vos, Pegasidum comites, Acheloidas oro.

Musae vero his locis intellegendae sunt:

pauca mihi doctae dicite Pegasides

(„Vergil." catal. XI 2);

mollia Pegasides date vestro serta poetae

(Propert. III 1, 19);

at mihi Pegasides blandissima carmina dictant

(„Ovid." Heroid. XV 27);

Pegasides Musae dictae sunt a fonte quem Pegasus ictu ungulae fingitur aperuisse (Verr. Flacc. apud Paul. Festi s. v. Pegasides, p. 212, 9/10 Mueller). Sed in hac genealogia Musam non significari documento est, quod Neptuni in nymphas amores plurimi, in Musas nulli traduntur. Sed etiam aliam rem, quamquam postea demum argumentis stabilietur, iam nunc ut fulcrum huius opinionis proferre licebit. Pegasus enim etsi inde ab Alexandrina aetate Hippucrenes auctor fertur, tamen nisi infimis temporibus ac rarissime angustius cum Musis non conexus est. Origine autem a Musa ducta vix artius vinculum cogitari posset. Contra nymphae prioribus iam temporibus cum Pegaso coniunguntur.

Neque ne nympha agnoscatur, alter Verri Flacci locus obstat, ex quo Pegasides Musae dictae sunt a fonte Pegasi ungula producto. Ambo sane loci una cum aliis glossis quae et ipsae ad deorum cognomina spectant, ad eundem fontem redeunt[1]). Nec vero hac e re quicquam concludi

[1]) Cf. H. Willers, de Verrio Flacco glossarum interprete (1898) p. 26 sq., qui Verrium Flaccum e Cornificii libris quos de etymis deorum composuit, hausisse conicit.

posset nisi auctori a Verrio Flacco excerpto Pegasi matrem nympham visam esse. At recte eum iudicavisse minime colligere licet.

Ea autem quae est de Pegaside genealogia certo inde fluxit, quod post aetatem quae dicitur Alexandrinam fabula divulgata est Pegasum fontium quorundam auctorem fuisse. Quibus cum fabulis Gorgo male, nympha optime conveniebat[1]). Quae quidem Pegasis nominata est, ut etiam nomen stirpis explicaretur.

2. Neque tamen nudam genealogiam, verum etiam plura de Medusae compressu accepimus.

Iam Hesiodus humanam speciem matris Pegaseae animo concepit, non diserte quidem, sed in enumeranda Phorcyos Cetusque prole (Theog. 270 sq.) ea ratione usus, ut a stirpe humana, Graeis (v. 270—273) et Gorgonibus, orsus ad ambiguas hominum et beluarum formas, Geryonem et Echidnam, progrederetur, quibus ferina corpora, Orthrum, Cerberum, Hydram, Chimaeram, Sphingem, leonem Nemeaeum draconemque mala aurea custodientem subiunxit. Atque etiam ceteris litterarum testimoniis Medusae nulla nisi humana species tribuitur. Atque Aristoteles (frg. 172 Rose ed. Teubner.) id ipsum miratus est, quod e coniugio numinum duorum quae utraque humana specie praedita fuerint, equus prodierit.

Neque minus artis opera humanam Gorgonis formam ostendunt. Sed unum idque gravissimum exceptum est. Atque hoc simul cum aliis quibusdam indiciis verisimile reddi potest in prima fabulae forma Pegasi matrem hominis habitu non indutam fuisse.

Illud autem opus anaglyphum amphorae musei Luporensis est[2]) ante hos tres annos prope Thebas inventae, quae VII a. Chr. saeculo attribuenda erit[3]). In quo Perseus Medusae caput ense abscisurus est. Hoc sane et reliqua corporis superioris pars humana specie induta est. Equinum autem corpus Centaurorum instar additum est. Atque eadem

[1]) Cf. Cornut. theol. Graec. compend. c. 22, qui relationem quae inter Neptunum et nymphas Pegasumque est, indicat.

[2]) C. A. 795; ed. de Ridder, Bull. de corresp. hellén. XXI (1898) pl. IV—V; cf. ibid. p. 448 sq.

[3]) ibid. p. 455.

res in altera amphora ficta erat, cuius in fragmento ibidem invento Perseus pariter expressus est[1]).

Etiam gemmae duae in Etruria repertae afferendae sunt[2]). Quas a Graecis VI saeculi artificibus factas artis Phoeniciae rationem habere Furtwaengler iudicat. Quarum in altera monstrum alatum quod capite Medusaeo, trunco equino praeditum et in pedibus anterioribus parvis pinnis[3]) instructum est, bracchiis humanis leonem tenet. Altero autem in scarabaeo persimilis figura expressa est, ita tamen, ut caput Gorgoneum anguibus horreat, pennae talares desint, leonis loco aper teneatur. Tamen in his scarabaeis num Gorgo repraesentata sit, dubitandum est. Antiquiore enim aetate caput Medusaeum etiam aliis numinibus impositum esse constat. Velut Cer Erisque in arca quae a Cypselo nominatur, et Harpyia quaedam illo capite instructae sunt[4]). Atque equina corpora etiam Harpyiis et Furiis, quae eaedem ab Aeschylo Gorgonum habitu indutae sunt (Choeph. 1045; Eumen. 48), attributa fuisse iam videbimus. Quare omissis gemmis illis unius amphorae Thebanae ratio habenda est.

Ad caedem autem Gorgonis corpus equinum nihil pertinet. Neque enim Persei quicquam interest, nisi ut capite Medusaeo potiatur. Inde igitur equi speciem intellegi non posse apparet. Sed post caedem e Gorgonis collo equum Pegasum natum esse constat Atque ob id ipsum in anaglypho illo Medusa equino corpore induta est.

Quod compluribus fabulis probatur quas illi persimiles esse omnes consentiunt[5]). Velut Neptunus equus ex equina

---

[1]) Ibid. p. 457 fig. 7.

[2]) Ed. Micali, Storia dei pop. Ital. pl. 46, 17/18; Mueller-Wieseler, Denkm. I³ nr. 324; Furtwaengler, Gemmen I tab. VII, 39/40.

[3]) Furtwaengler, Gemmen II p. 35.

[4]) Cf. Furtwaengler in Roscheri Myth. Lex. s. v. Gorgo I, 1706; Arch. Jahrb. I (1886) p 210.

[5]) Preller-Robert, Griech Mythol. I p. 591; Milchhoefer, Arch. Ztg. XXXIX (1881) p. 281 sq; Anfaenge der Kunst p. 56 sq; Furtwaengler, Arch. Ztg. XL (1882) p. 196, Athen. Mitt. VII (1882) p. 165 sq; Roscher, Gorgonen und Verwandtes, p. 25; Cook, Journ. of hellen. stud. XIV (1893) p. 143 sq; v. Wilamowitz, Heracl.² II p. 13; Griech. Trag. II p. 225 sq.

Cerere-Furia (Demeter-Erinys) Arionem (Erionem) equum[1]), ex Alopa Hippothoum qui equae ubera suxisse fertur, e Melanippa, „equa nigra", Boeotorum proavum genuisse dicitur[2]). Atque Hippe, „equa," ab Aeolo compressa Melanippen, „equam nigram," peperit. Quae quamquam postea speciem equinam, ne a Chirone patre agnosceretur, sibi adscivisse dicitur, tamen in prima fabulae forma sine dubio iam in ipso complexu equa fuit[3]). Atque etiam Aeolus forma equi praeditus fuerit. Ut Boreas ἵππῳ εἰσάμενος κυανοχαίτῃ (Il. XX 224) ex equis quibusdam mirabiles Erichthonii equos, Zephyrus ex Harpyia Podarge equi habitu induta duos equos Achilleos (Il. XVI 150/151) genuisse traditur[4]).

Nonnunquam autem Furiae loco Harpyia, Zephyri Neptunus appellatur. Atque etiam nomina deorum qui ventis praesunt, alibi alia afferuntur. Similes ceterum Indorum et Germanorum fabulae memoriae proditae sunt. Etenim Vivasvat equus e dea equina quae Saraṇyû nominatur, Açvinos genuit, quibus equorum speciem fuisse viri docti iure censent[5]). Atque illam Indorum deam eandem esse ac Graecorum Furiam Ad. Kuhn putavit[6]). Quamquam sunt qui hanc opinionem minime probent[7]). Germanorum autem in fabula equus Gigantum qui Swadilfar nominatur, e Locio, deo in equam converso, Sleipnirium genuit, equum Odhinio gratissimum[8]).

Nec vero fabulas quas modo attulimus, poetarum inventa esse[9]) luce clarius est.

Numina autem fabularum illarum integris equorum corporibus induta sunt. Contra superior pars Medusae in am-

---

[1]) Utrum prima eius fabulae forma Arcadiae an Boeotiae ascribenda sit, nihil ad nos pertinet.

[2]) v. Wilamowitz, Griech. Trag. II p. 227 n. 1.

[3]) Cf. R. Wuensch, Rh. Mus. XLIX (1894) p. 94; p. 108/109.

[4]) Cf. E. Rohde, Rh. Mus. L (1895) p. 4.

[5]) Cf. Myriantheus, Die Açvins (1876) p. 1 sq; Oldenberg, Religion des Veda (1894) p. 73 sq.

[6]) In egregia illa dissertatione quae Saraṇyû-Erinys inscribitur, Ztschr. fuer vergl. Sprchw. I (1853) p. 439 sq.

[7]) Cf. O. Gruppe, Griech. Kulte und Mythen I (1887) p. 100 n. 15; E. Knoll, Stud. zur aeltest. Kunst in Griechenland (1893) p. 31.

[8]) Cf. v. Hahn, Sagwissensch. Stud. (1876) p. 139.

[9]) Cf. E. Knoll, ibid. p. 20.

phora Boeotica fictae humana specie est. Attamen ipsa e similitudine ceterarum fabularum pro certo affirmare licet primo etiam Pegasi matrem integro equi corpore instructam fuisse. Quamquam vereor, ne cui haud probabile videatur, cum Persei capite humano potiri intersit. Hoc autem ipso absciso Pegasus natus esse fertur. At infra argumentis comprobabimus Perseum primo cum origine Pegasi omnino non coniunctum fuisse.

Atque etiam aliud indicio est Pegasi matrem integro equae corpore indutam fuisse. Sunt enim nonnulla monumenta iam a Milchhoefero collecta, in quibus Medusa, cuius e collo persecto Pegasi caput eminet, speciem trunci capite equino praediti praebet[1]). Infra de iis accuratius agetur. Atque his patera Rhodia figuris nigris ornata[2]) et amphora musei Neapolitani figuris rubris picta[3]) addendae sunt. Atque Milchhoefer, quocum consentiunt C. Smith et de Ridder[4]), illis quidem monumentis memoriam manifestam contineri putat pristinae Gorgonis capite equino praeditae. Etsi haec sententia probari non potest — nam obstat nunc anaglyphum amphorae Boeoticae — tamen haec monumenta conferunt ad id quod posuimus stabiliendum Gorgonem inde ab initio integro corpore equino praeditam fuisse.

3. Nec vero minus censendum est etiam patrem Pegasi primo equinum fictum fuisse. Cui rei sane non illud documento est, quod Medusae coniux ab Hesiodo simpliciter κυανοχαίτης nominatus est (Theog. 278). Quod cognomen Neptuni aeque atque ἵππιον a pristina specie equina repetitum esse concedo[5]). Ut etiam Odhini cognomen Hrossharsgrani a pristina specie equina ductum esse putatur[6]). Sed tamen certo aetate satis antiqua ille vocis κυανοχαίτου sensus iam non perspectus est, ut dubium sit, utrum illo Theogoniae loco

---

[1]) Anfaenge p. 62; cf. O. Rossbach, Arch. Ztg. XLI (1883), p. 173—78; E. Knoll, l. c. p. 11 sq.

[2]) Ed. C. Smith, Journ. of. hell. stud. V (1884) tab. 43.

[3]) Heydemann nr. 1767; Museo Borbonico XIII tab. 59.

[4]) Ibid. p. 239; — Bull. de corr. hellén. XXI (1898) p. 455.

[5]) Furtwaengler, Athen. Mitt. VII (1882) p. 165 sq; v. Wilamowitz, Griech. Trag. II p. 227 n. 1.

[6]) M. Jaehns, Ross und Reiter (1872) I p. 292; 347/48.

Hesiodeae pristina vocis vis subsit. Sed et e similibus quas supra enumeravimus fabulis, et ex equina specie matris filiique pro certo affirmare licet etiam patrem Pegasi equino corpore praeditum fuisse, praesertim cum ipse artissime cum equis cohaereat.

Quamquam Ovidii quodam loco patris Pegasi alius habitus esse videtur. In tela enim Arachnes, in qua cum alii amores tum Neptuni et Medusae ficti erant, Neptunus quidem avis specie indutus Medusam compressisse dicitur (Met VI 119/20): *Te* (scil. Neptune)

sensit volucrem crinita colubris
mater equi volucris.

Ex hoc uno sane loco ad Arionis ortum temere relato Tuempel collegit Adrasti equum alitem fuisse[1]. Atque etiam alibi pinnis praeditus esse falso dicitur[2]. Nec vero ullus locus est qui documento sit. Alatum enim equum Etrusci cuiusdam speculi[3], supra quem nomen Arionis scriptum est, Pegasum potius habendum esse omnes consentiunt. Rursus in alio speculo Etrusco[4] ligneus Epei equus quamquam alis caret, *Pecse* = Pegasus nominatur. Aversa vero in parte complurium quarti a. Chr. saeculi nummum Thelpusae, qua in urbe fabula Arionis familiaris erat, equus alis carens occurrit. Quem Adrasti equum esse Ἐρίων inscriptio firmissimo argumento est[5]. Ad Arionem vero verba potius quae locum illum Ovidii praecedunt, referenda sunt:

et te, flava comas frugum mitissima mater,
sensit equum.

Iam ut ad locum Ovidii de quo agimus, redeamus, Diltheius quidem arbitratur eo memoriam pristinae Neptuni formae servatam esse, qui antequam terrestrium aquarum dominus factus sit, caeli aeribus praefuerit[6]. At Neptunum olim quod-

---

[1]) Tuempel, in Paul-Wiss. s. v. Areion II p. 622.

[2]) Preller-Rob., Griech. Myth. I p. 590; Overbeck, Kunstmyth. III p. 384; Milchhoefer, Anfaenge p. 70.

[3]) Ed. Gerhard, Etrusk. Spiegel IV 333; Mon. dell' Inst. VI tab. 29; cf. R. Peter in Rosch. M. L. s. v. Melerpanta II 2622 sq.

[4]) Gerhard, II 232, 2.

[5]) Cf. Head, N. H. p. 381/382.

[6]) Annal. dell' Inst. XXXXIII (1871) p. 215.

Haec commentatio reliquis capitibus aucta propediem edetur in
„Breslauer philologische Abhandlungen vol. VIII."

RICCARDO FOERSTER

S.

Fabulae quae de Pegaso feruntur, a duobus viris doctis diligenter quidem tractatae sunt: Lenzio[1]) et Krahnero[2]); sed eorum dissertationes quamquam omni laude dignae sunt, tamen ob eam maxime causam obsoleverunt, quod tempore progrediente materia argumenti multum aucta est. Praeter hos nonnulli viri docti occasione data de hac vel illa fabula verba fecerunt, sed propter hanc ipsam rem, quod non universas respexerunt, haud raro in errores inducti sunt. Quae cum ita essent, continuam fabularum memoriam recolere non inutile videbatur.

Hanc autem disserendi viam inibimus, ut primum de fabulis quae cum Pegasi ortu cohaerent, deinde de Pegaso cum Bellerophonte coniuncto, tum de Pegasi fontiumque conexu dicamus. Perlustratis autem singulis fabulis de alis Pegaso attributis, de nomine eius, de fabulae explicationibus verba faciemus.

A.

De fabulis quae ad Pegasi ortum pertinent.

I. De Pegasi parentibus.

1. Pegasum Neptuni et Medusae filium esse omnibus uno excepto locis traditum est. Uno autem loco quo alia Pegasi genealogia invenitur, Pegasis quaedam eum peperisse dicitur. Qui exstat apud Verrium Flaccum: *hippius, i. e. equester Neptunus dictus est, vel . . . . vel quod Pegasus ex eo et Pegaside natus sit* . . . . (Paulus Fest. s. v. hippius p. 101, 11 Mueller). Quod e Graeco fonte repetitum esse vox ipsa *hippius* demonstrat. Cum autem Pegasidi voci notio et

1) Über die Fabel des Pegasus, Neuer teutscher Merkur (1796) II p. 263 sq.

2) Ersch und Gruber, Allgemeine Encyclop. der Wissensch. und Künste s. v. Pegasus p. 455 sq. (1840).

nymphae et Musae subsit, quaerendum est, utra in hac genealogia statuenda sit. Ac nymphae notionem habet vox loco Quinti Smyrnaei (III 300/1):

Ἀτύμνιος] ὃν ποτε νύμφη
Πηγασὶς ἠΰκομος σθεναρῷ τέκεν Ἠμαθίωνι.

Et nympharum generis significatio voci inest apud Ovidium (Heroid. V 3):

Pegasis Oenone, Phrygiis celeberrima silvis,

quae v. 10, 11 etc. nympha vocatur, et apud Columellam (X 263):

nunc vos, Pegasidum comites, Acheloidas oro.

Musae vero his locis intellegendae sunt:

pauca mihi doctae dicite Pegasides

(„Vergil." catal. XI 2);

mollia Pegasides date vestro serta poetae

(Propert. III 1, 19);

at mihi Pegasides blandissima carmina dictant

(„Ovid." Heroid. XV 27);

Pegasides Musae dictae sunt a fonte quem Pegasus ictu ungulae fingitur aperuisse (Verr. Flacc. apud Paul. Festi s. v. Pegasides, p. 212, 9/10 Mueller). Sed in hac genealogia Musam non significari documento est, quod Neptuni in nymphas amores plurimi, in Musas nulli traduntur. Sed etiam aliam rem, quamquam postea demum argumentis stabilietur, iam nunc ut fulcrum huius opinionis proferre licebit. Pegasus enim etsi inde ab Alexandrina aetate Hippucrenes auctor fertur, tamen nisi infimis temporibus ac rarissime angustius cum Musis non conexus est. Origine autem a Musa ducta vix artius vinculum cogitari posset. Contra nymphae prioribus iam temporibus cum Pegaso coniunguntur.

Neque ne nympha agnoscatur, alter Verri Flacci locus obstat, ex quo Pegasides Musae dictae sunt a fonte Pegasi ungula producto. Ambo sane loci una cum aliis glossis quae et ipsae ad deorum cognomina spectant, ad eundem fontem redeunt[1]). Nec vero hac e re quicquam concludi

[1]) Cf. H. Willers, de Verrio Flacco glossarum interprete (1898) p. 26 sq., qui Verrium Flaccum e Cornificii libris quos de etymis deorum composuit, hausisse conicit.

posset nisi auctori a Verrio Flacco excerpto Pegasi matrem nympham visam esse. At recte eum iudicavisse minime colligere licet.

Ea autem quae est de Pegaside genealogia certo inde fluxit, quod post aetatem quae dicitur Alexandrinam fabula divulgata est Pegasum fontium quorundam auctorem fuisse. Quibus cum fabulis Gorgo male, nympha optime conveniebat[1]. Quae quidem Pegasis nominata est, ut etiam nomen stirpis explicaretur.

2. Neque tamen nudam genealogiam, verum etiam plura de Medusae compressu accepimus.

Iam Hesiodus humanam speciem matris Pegaseae animo concepit, non diserte quidem, sed in enumeranda Phorcyos Cetusque prole (Theog. 270 sq.) ea ratione usus, ut a stirpe humana, Graeis (v. 270—273) et Gorgonibus, orsus ad ambiguas hominum et beluarum formas, Geryonem et Echidnam, progrederetur, quibus ferina corpora, Orthrum, Cerberum, Hydram, Chimaeram, Sphingem, leonem Nemeaeum draconemque mala aurea custodientem subiunxit. Atque etiam ceteris litterarum testimoniis Medusae nulla nisi humana species tribuitur. Atque Aristoteles (frg. 172 Rose ed. Teubner.) id ipsum miratus est, quod e coniugio numinum duorum quae utraque humana specie praedita fuerint, equus prodierit.

Neque minus artis opera humanam Gorgonis formam ostendunt. Sed unum idque gravissimum exceptum est. Atque hoc simul cum aliis quibusdam indiciis verisimile reddi potest in prima fabulae forma Pegasi matrem hominis habitu non indutam fuisse.

Illud autem opus anaglyphum amphorae musei Luporensis est[2] ante hos tres annos prope Thebas inventae, quae VII a. Chr. saeculo attribuenda erit[3]. In quo Perseus Medusae caput ense abscisurus est. Hoc sane et reliqua corporis superioris pars humana specie induta est. Equinum autem corpus Centaurorum instar additum est. Atque eadem

[1]) Cf. Cornut. theol. Graec. compend. c. 22, qui relationem quae inter Neptunum et nymphas Pegasumque est, indicat.

[2]) C. A. 795; ed. de Ridder, Bull. de corresp. hellén. XXI (1898) pl. IV—V; cf. ibid. p. 448 sq.

[3]) ibid. p. 455.

res in altera amphora ficta erat, cuius in fragmento ibidem invento Perseus pariter expressus est[1]).

Etiam gemmae duae in Etruria repertae afferendae sunt[2]). Quas a Graecis VI saeculi artificibus factas artis Phoeniciae rationem habere Furtwaengler iudicat. Quarum in altera monstrum alatum quod capite Medusaeo, trunco equino praeditum et in pedibus anterioribus parvis pinnis[3]) instructum est, bracchiis humanis leonem tenet. Altero autem in scarabaeo persimilis figura expressa est, ita tamen, ut caput Gorgoneum anguibus horreat, pennae talares desint, leonis loco aper teneatur. Tamen in his scarabaeis num Gorgo repraesentata sit, dubitandum est. Antiquiore enim aetate caput Medusaeum etiam aliis numinibus impositum esse constat. Velut Cer Erisque in arca quae a Cypselo nominatur, et Harpyia quaedam illo capite instructae sunt[4]). Atque equina corpora etiam Harpyiis et Furiis, quae eaedem ab Aeschylo Gorgonum habitu indutae sunt (Choeph. 1045; Eumen. 48), attributa fuisse iam videbimus. Quare omissis gemmis illis unius amphorae Thebanae ratio habenda est.

Ad caedem autem Gorgonis corpus equinum nihil pertinet. Neque enim Persei quicquam interest, nisi ut capite Medusaeo potiatur. Inde igitur equi speciem intellegi non posse apparet. Sed post caedem e Gorgonis collo equum Pegasum natum esse constat Atque ob id ipsum in anaglypho illo Medusa equino corpore induta est.

Quod compluribus fabulis probatur quas illi persimiles esse omnes consentiunt[5]). Velut Neptunus equus ex equina

---

[1]) Ibid. p. 457 fig. 7.

[2]) Ed. Micali, Storia dei pop. Ital. pl. 46, 17/18; Mueller-Wieseler, Denkm. I[3] nr. 324; Furtwaengler, Gemmen I tab. VII, 39/40.

[3]) Furtwaengler, Gemmen II p. 35.

[4]) Cf. Furtwaengler in Roscheri Myth. Lex. s. v. Gorgo I, 1706; Arch. Jahrb. I (1886) p 210.

[5]) Preller-Robert, Griech Mythol. I p. 591; Milchhoefer, Arch. Ztg. XXXIX (1881) p. 281 sq; Anfaenge der Kunst p. 56 sq; Furtwaengler, Arch. Ztg. XL (1882) p. 196, Athen. Mitt. VII (1882) p. 165 sq; Roscher, Gorgonen und Verwandtes, p. 25; Cook, Journ. of hellen. stud. XIV (1893) p. 143 sq; v. Wilamowitz, Heracl.[2] II p. 13; Griech. Trag. II p. 225 sq.

Cerere-Furia (Demeter-Erinys) Arionem (Erionem) equum[1]), ex Alopa Hippothoum qui equae ubera suxisse fertur, e Melanippa, „equa nigra", Boeotorum proavum genuisse dicitur[2]). Atque Hippe, „equa," ab Aeolo compressa Melanippen, „equam nigram," peperit. Quae quamquam postea speciem equinam, ne a Chirone patre agnosceretur, sibi adscivisse dicitur, tamen in prima fabulae forma sine dubio iam in ipso complexu equa fuit[3]). Atque etiam Aeolus forma equi praeditus fuerit. Ut Boreas ἵππῳ εἰσάμενος κυανοχαίτῃ (Il. XX 224) ex equis quibusdam mirabiles Erichthonii equos, Zephyrus ex Harpyia Podarge equi habitu induta duos equos Achilleos (Il. XVI 150/151) genuisse traditur[4]).

Nonnunquam autem Furiae loco Harpyia, Zephyri Neptunus appellatur. Atque etiam nomina deorum qui ventis praesunt, alibi alia afferuntur. Similes ceterum Indorum et Germanorum fabulae memoriae proditae sunt. Etenim Vivasvat equus e dea equina quae Saraṇyû nominatur, Açvinos genuit, quibus equorum speciem fuisse viri docti iure censent[5]). Atque illam Indorum deam eandem esse ac Graecorum Furiam Ad. Kuhn putavit[6]). Quamquam sunt qui hanc opinionem minime probent[7]). Germanorum autem in fabula equus Gigantum qui Swadilfar nominatur, e Locio, deo in equam converso, Sleipnirium genuit, equum Odhinio gratissimum[8]).

Nec vero fabulas quas modo attulimus, poetarum inventa esse[9]) luce clarius est.

Numina autem fabularum illarum integris equorum corporibus induta sunt. Contra superior pars Medusae in am-

---

[1]) Utrum prima eius fabulae forma Arcadiae an Boeotiae ascribenda sit, nihil ad nos pertinet.

[2]) v. Wilamowitz, Griech. Trag. II p. 227 n. 1.

[3]) Cf. R. Wuensch, Rh. Mus. XLIX (1894) p. 94; p. 108/109.

[4]) Cf. E. Rohde, Rh. Mus. L (1895) p. 4.

[5]) Cf. Myriantheus, Die Açvins (1876) p. 1 sq; Oldenberg, Religion des Veda (1894) p. 73 sq.

[6]) In egregia illa dissertatione quae Saraṇyû-Erinys inscribitur, Ztschr. fuer vergl. Sprchw. I (1853) p. 439 sq.

[7]) Cf. O. Gruppe, Griech. Kulte und Mythen I (1887) p. 100 n. 15; E. Knoll, Stud. zur aeltest. Kunst in Griechenland (1893) p. 31.

[8]) Cf. v. Hahn, Sagwissensch. Stud. (1876) p. 139.

[9]) Cf. E. Knoll, ibid. p. 20.

phora Boeotica fictae humana specie est. Attamen ipsa e similitudine ceterarum fabularum pro certo affirmare licet primo etiam Pegasi matrem integro equi corpore instructam fuisse. Quamquam vereor, ne cui haud probabile videatur, cum Persei capite humano potiri intersit. Hoc autem ipso absciso Pegasus natus esse fertur. At infra argumentis comprobabimus Perseum primo cum origine Pegasi omnino non coniunctum fuisse.

Atque etiam aliud indicio est Pegasi matrem integro equae corpore indutam fuisse. Sunt enim nonnulla monumenta iam a Milchhoefero collecta, in quibus Medusa, cuius e collo persecto Pegasi caput eminet, speciem trunci capite equino praediti praebet[1]). Infra de iis accuratius agetur. Atque his patera Rhodia figuris nigris ornata[2]) et amphora musei Neapolitani figuris rubris picta[3]) addendae sunt. Atque Milchhoefer, quocum consentiunt C. Smith et de Ridder[4]), illis quidem monumentis memoriam manifestam contineri putat pristinae Gorgonis capite equino praeditae. Etsi haec sententia probari non potest — nam obstat nunc anaglyphum amphorae Boeoticae — tamen haec monumenta conferunt ad id quod posuimus stabiliendum Gorgonem inde ab initio integro corpore equino praeditam fuisse.

3. Nec vero minus censendum est etiam patrem Pegasi primo equinum fictum fuisse. Cui rei sane non illud documento est, quod Medusae coniux ab Hesiodo simpliciter κυανοχαίτης nominatus est (Theog. 278). Quod cognomen Neptuni aeque atque ἵππιον a pristina specie equina repetitum esse concedo[5]). Ut etiam Odhini cognomen Hrossharsgrani a pristina specie equina ductum esse putatur[6]). Sed tamen certo aetate satis antiqua ille vocis κυανοχαίτου sensus iam non perspectus est, ut dubium sit, utrum illo Theogoniae loco

[1]) Anfaenge p. 62; cf. O. Rossbach, Arch. Ztg. XLI (1883), p. 173—78; E. Knoll, l. c. p. 11 sq.

[2]) Ed. C. Smith, Journ. of. hell. stud. V (1884) tab. 43.

[3]) Heydemann nr. 1767; Museo Borbonico XIII tab. 59.

[4]) Ibid. p. 239; — Bull. de corr. hellén. XXI (1898) p. 455.

[5]) Furtwaengler, Athen. Mitt. VII (1882) p. 165 sq; v. Wilamowitz, Griech. Trag. II p. 227 n. 1.

[6]) M. Jaehns, Ross und Reiter (1872) I p. 292; 347/48.

Hesiodeae pristina vocis vis subsit. Sed et e similibus quas supra enumeravimus fabulis, et ex equina specie matris filiique pro certo affirmare licet etiam patrem Pegasi equino corpore praeditum fuisse, praesertim cum ipse artissime cum equis cohaereat.

Quamquam Ovidii quodam loco patris Pegasi alius habitus esse videtur. In tela enim Arachnes, in qua cum alii amores tum Neptuni et Medusae ficti erant, Neptunus quidem avis specie indutus Medusam compressisse dicitur (Met VI 119/20): *Te* (scil. Neptune)

sensit volucrem crinita colubris
mater equi volucris.

Ex hoc uno sane loco ad Arionis ortum temere relato Tuempel collegit Adrasti equum alitem fuisse [1]. Atque etiam alibi pinnis praeditus esse falso dicitur [2]. Nec vero ullus locus est qui documento sit. Alatum enim equum Etrusci cuiusdam speculi [3], supra quem nomen Arionis scriptum est, Pegasum potius habendum esse omnes consentiunt. Rursus in alio speculo Etrusco [4] ligneus Epei equus quamquam alis caret, *Pecse* = Pegasus nominatur. Aversa vero in parte complurium quarti a. Chr. saeculi nummum Thelpusae, qua in urbe fabula Arionis familiaris erat, equus alis carens occurrit. Quem Adrasti equum esse Ἐρίων inscriptio firmissimo argumento est [5]. Ad Arionem vero verba potius quae locum illum Ovidii praecedunt, referenda sunt:

et te, flava comas frugum mitissima mater,
sensit equum.

Iam ut ad locum Ovidii de quo agimus, redeamus, Diltheius quidem arbitratur eo memoriam pristinae Neptuni formae servatam esse, qui antequam terrestrium aquarum dominus factus sit, caeli aeribus praefuerit [6]. At Neptunum olim quod-

---

[1] Tuempel, in Paul-Wiss. s. v. Areion II p. 622.

[2] Preller-Rob., Griech. Myth. I p. 590; Overbeck, Kunstmyth. III p. 384; Milchhoefer, Anfaenge p. 70.

[3] Ed. Gerhard, Etrusk. Spiegel IV 333; Mon. dell' Inst. VI tab. 29; cf. R. Peter in Rosch. M. L. s. v. Melerpanta II 2622 sq.

[4] Gerhard, II 232, 2.

[5] Cf. Head, N. H. p. 381/382.

[6] Annal. dell' Inst. XXXXIII (1871) p. 215.

dam caeleste regnum obtinuisse uno e tridente conicitur. Hunc tamen non ad fulmen, sed ad hamatum piscatorum iaculum referendum esse iure nunc ab omnibus statuitur. Praeterea et in sacris et in fabulis cum equo tauroque arte cohaeret, nunquam cum ave quadam coniunctus est. Quare Dilthei opinioni nihil favere videmus. Neque magis Medusa causa esse potuit, cur Neptunus in avem converteretur. Loco igitur illo Ovidii vetustissimam fabulam contineri negandum est. Avis autem species eo consilio Neptuno indita esse mihi videtur, ut alae Pegasi propriae explicarentur. Quod nescio an Ovidius ipse voce *volucris* et patri et filio tributa significare voluerit. Nec vero quaenam avis Neptunus fuerit, accepimus. Qua quidem re item comprobari mihi videtur fabellam illam eo tantum consilio fictam fuisse, ut ipsae pennae Pegaso attributae explicarentur. Fabulas autem quibus cum aliae tum beluarum proprietates explicantur, Alexandrina potissimum aetate compositas esse constat[1]).

Atque Pegasus ipse simili usui fuit. Nam in schol. B (L) ad Il. I 266 singularis haec fabula affertur: οἱ δὲ Κένταυροι κατὰ μὲν τοὺς ποιητὰς λέγονται Ἰξίονος καὶ Νεφέλης· τινὲς δὲ δουλίδι[2]) Ἰξίονα μιγῆναι, ἅμα δὲ καὶ Πήγασον τὸν πτερωτὸν κατὰ τὴν αὐτὴν νύκτα, ἐξ ὧν γενέσθαι Κένταυρον, ἀφ' οὗ πολὺ πλῆθος γίνεται. Quam fabulam non esse vetustissimam per se apparet[3]). Nec vero existimo eam cum monumentis Assyriis et Etruscis cohaerere, in quibus Centauri alati occurrunt[4]). Locus enim ille sine dubio communem Centaurorum speciem spectat (πολὺ πλῆθος). Immo Pegasus omnino non alas, quae nonnunquam Centauris tribuuntur, sed equinam corporis partem explicare videtur. Ipse autem Pegasus pater eorum delectus est, quia inter equos fabulosos omnium notissimus erat.

Iam e variis litterarum artisque monumentis primae fabulae forma enucleata est Neptunum et Medusam equina specie indutos se miscuisse.

De loco vero quo Neptunus Medusam compressisse fertur,

---

[1]) E. Rohde, Griech. Roman² p. 98.

[2]) Δίᾳ potius scribendum esse Tuempel non sine causa conicit Rosch. M. L. s. v. Centaur. II 1034.

[3]) Cf. Weizsaecker in Rosch. M L. s. v. Ixion II p. 768.

[4]) Roscher in M. L. II p. 1033 n. 2.

illic demum, ubi de regione, in qua Medusa caesa et Pegasus natus esse fertur, disserendum erit. Illa enim uno eodemque loco facta esse traduntur.

II. De ipso Pegasi ortu.

Nunc quoniam de Medusa a Neptuno compressa diximus, de ipso Pegasi ortu disserendum est. Ac primum litterarum testimonia tractentur.

a. De memoria litteris servata.

1. Horum veterrimum duo Hesiodeae Theogoniae versus (v. 280/81) sunt:

Τῆς (scil. Μεδούσης) δ'ὅτε δὴ Περσεὺς κεφαλὴν ἀπεδειροτόμησεν,
ἔκθορε Χρυσάωρ τε μέγας καὶ Πήγασος ἵππος,

quos aliquid obscuritatis habere iam M. Haupt recte animadvertit.[1]) De communi ortus modo sane non erit cogitandum. Cui etsi ἔκθορε vox in communi quoque ortu usurpata (cf. Hom. h. in Apoll. v. 119) non repugnat, tamen aoristus ἀπεδειροτόμησεν mirabili originis generi patrocinatur. Neque enim cum Perseus Medusam capite privabat, sed cum privavisset, Chrysaor et Pegasus prosiluerunt. Quare iam vides caput decisum pro nascendi condicione haberi. Tum vero ne unum quidem artis litterarumve testimonium exstat, quod communi nascendi modo faveat. Nisi forte duos exeuntis antiquitatis locos afferes: Serv. Dan. ad Verg Aen. II 616 et „Lactant." narrat. fabul. IV, 7, quibus nihil auctoritatis tribuendum esse infra videbimus.

Sed licet mirus Pegasi ortus omnino huic loco conveniat, quaestio existit, quinam modus ipse fuerit. Et cum Hesiodus verbis parum perspicuis usus sit, diversae interpretationes prolatae sunt. Ut a vetere schol. ad. Pind. Ol. XIII 63 (89) dicitur: ὅτι δὲ τῆς Γοργόνος ἀποτμηθείσης τὴν κεφαλὴν ὑπὸ τοῦ Περσέως ἀνεδόθη ὁ Πήγασος ἵππος, καὶ Ἡσίοδος μαρτυρεῖ: τῆς ὅτε δὴ . . . . . . Quo loco ortum talem intellectum esse

[1]) Ad Ovid. Met. IV 785 sq.

apparet, ut Pegasus e collo cum trunco corpore conexo prodierit. Aliter verba scholiasta ad Nicandr. Alexiph. 100 interpretatus est, qui ad versum:

Περσεὺς αὐχένʼ ἀποτμήξας ἅρπῃ γονόεντα Μεδούσης

adnotavit: ἐπειδὴ ὁ αὐχὴν τῆς Μεδούσης Γοργόνος ἀποτμηθεὶς ἐγέννησε τὸν Χρυσάορα καὶ τὸν Πήγασον ἵππον, ὡς Ἡσίοδος. ἐκ γάρ . . . . . Pegasum autem et Chrysaorem ex collo una cum capite absciso prodire schol. sine dubio ex ipsis Nicandri verbis collegit. Haec tamen ita interpretari nihil cogimur. Neque enim verba αὐχένʼ ἀποτμήξας active posita magis quam Germanicae linguae locutio „Hals abschneiden" significant collum una cum capite a trunco discissum esse. Nicandrum autem ipsum de ortu e trunco corpore facto cogitasse verisimile est. Hoc tamen gravissimum est e scholiastae sententia ab Hesiodi verbis non abhorrere Pegasum e collo una cum capite absciso editum esse. Nec re vera Theogoniae versus cogunt, ut ortum de trunco Gorgonis factum fingamus. Immo etiam cum Pegaso ex absciso capite nato conveniunt. Qui nascendi modus etiam a Sexto Empirico profertur: τὸν δὲ Πήγασον λαιμοτομηθείσης τῆς Γοργόνος ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἐκθορεῖν (adv. mathem. 264). Quae verba non fabulam singularem, sed Hesiodi interpretationem complecti videntur. Sextus enim eodem atque Hesiodus verbo ἐκθορεῖν utitur, et ipsa Hesiodi verba: κεφαλὴν ἀπεδειροτόμησεν, ἔκθορε (Theog. 280/281) illam interpretationem subiciebant. Quam ab Hesiodi verbis non alienam esse etiam hac quidem aetate Hillebrandtius putavit[1]). Scholiasta autem ad Dion. Perieg. 870 utrum ortum e capite an e trunco factum animo finxerit, dubium est. Dicit enim: Ἀθηνᾶ] ἐποίησεν αὐτὸν (scil. Περσέα) ἀποτεμεῖν τὴν αὐτῆς κεφαλήν, καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ αἵματος αὐτῆς (Γοργόνος aut κεφαλῆς?) ὁ Πήγασος.

Aliud tamen quod scholiasta ad illum Nicandri versum attulit, certe ab Hesiodo abhorret. Verbis enim quae supra laudavimus, haec subicit: ἐκ γὰρ τοῦ αἵματος οὗτοι ἐγένοντο. Verba ἐκ τοῦ αἵματος non ut aliis, poetarum

---

[1]) Commentat. Ribbeckian. (1888) p. 242.

praecipue, locis (cf. Eurip. Orest. 194: τέκνα σέθεν ἀφ' αἵματος scil. Clytaemestrae) copiosa significatio simplicis pronominis ἐξ αὐτῆς esse possunt. Quod si ita esset, verba illa prorsus inania essent. Neque locutioni illi eadem sententia inesse potest atque in schol. ad. Dion. Perieg. 870 allato, ubi Pegasum et Chrysaorem ἐκ τοῦ αἵματος ἐξελθεῖν dictum est. Tum enim scholiasta non verba ὁ αὐχὴν ἀποτμηθεὶς ἐγέννησεν, id quod vult, explicaret, sed singulare ortus momentum adderet. Praeterea vis quae voci γίγνεσθαι inest, illi sententiae repugnaret. Immo hoc modo dictum esse potest Chrysaorem et Pegasum e Medusaeo cruore non secus ac Gigantes ex Urani sanguine ortos esse. Hoc tamen Hesiodi verbis significari manifestus scholiastae error est. Primum enim Hesiodus versibus antecedentibus (Theog. 278/79) Medusam a Neptuno compressam esse profert, Gigantes autem uno ab Urani sanguine orti sunt. Tum scholiastae sententia voce ἐκθορεῖν refutatur. Neque enim Pegasus et Chrysaor omnino post caedem a Perseo factam demum oriebantur, sed antea orti corpore matris ad illud temporis inclusi erant. Propriam autem fabulam scholiastae verbis contineri negare licet. Iam enim supra vidimus scholiastam Nicandri verba ita intellexisse, ut putaret eum Pegasi originem e collo absciso factam significare. Atqui de sanguine qui a desecto Medusae capite destillabat, serpentium genus ortum esse constat. Qui nascendi modus in Pegasum et Chrysaorem, quos scholiasta et ipsos e Gorgoneo collo prodiisse existimat, translatus esse videtur.

Atque ab hoc ortus modo Hesiodi verba abhorrere comprobavimus. Ad diiudicandam autem quaestionem, utrum Hesiodus ortum e collo an e capite factum intellexerit, verba eius parum dilucida esse diximus. Quamquam mentio compressae a Neptuno Medusae magis origini e trunco factae arridet. Atque hunc ortus modum omnia artis monumenta testantur. Quod maximi momenti est. Neque enim artis opera ad Hesiodum redire infra comprobabimus. Atque etiam plurima litterarum testimonia ortum e trunco factum praebent. Unde hunc etiam iis locis quibus diversa fabula non diserte affertur, cogitatum esse colligere licet.

2. Perspicuis autem verbis ille nascendi modus his qui-

dem locis indicatur: Strabonis VIII 379 πτηνὸν ἵππον ἐκ τοῦ τραχήλου τοῦ Μεδούσης ἀναπαλέντα κατὰ τὴν Γοργοτομίαν; „Apollodori“ biblioth. II 4, 2, 9 ἀποτμηθείσης δὲ τῆς κεφαλῆς ἐκ τῆς Γοργόνος ἐξέθορε (cf. Hes. Theog. 281) Πήγασος πτηνὸς ἵππος καὶ Χρυσάωρ, ὁ Γηρυόνου πατήρ (Hes. Theog. 287), τούτους δὲ ἐγέννησεν ἐκ Ποσειδῶνος. Qui locus versuum Hesiodeorum explicatio esse videtur. Atque hanc omnino bibliothecae „Apollodoreae“ rationem esse constat. Dilucida quoque sunt quae a Tatiano ad Graecos 11 proferuntur: τὴν Γοργοῦς καρατομίαν, τῆς Ποσειδῶνος ἐρωμένης, ἀφ᾽ἧς Πήγασος ὁ ἵππος καὶ Χρυσάωρ ἀνέθορε. Schol. Pind. Ol. XIII 63 iam supra (p. 9) laudatum est. Addantur quidam loci quibus Nonnus haud ita eleganter de Pegasi ortu dicit:

ἧς ἔτι κυμαίνουσα γοναῖς ἐθλίβετο γαστὴρ
Πήγασον ὠδίνουσα, καὶ ἔγκυον ἀνθερεῶνα
Γοργόνος Εἰλείθυια μογοστόκος ἔθρισεν ἅρπῃ
αὐχένος ἱπποτόκοιο θαλύσιον

(Dionys. XXV 39 sq.); quibus similia sunt verba loci alterius:

Γοργόνος ὠδίνοντα διέθρισεν ἀνθερεῶνα,
καὶ δρεπάνην φοίνιξε, δαϊζομένης δὲ Μεδούσης
αἱμοβαφῆ παλάμην ὀφιώδεϊ λοῦσεν ἐέρσῃ
κρᾶτα ταμών· χρυσέῳ δὲ σὺν ἄορι παῖδα λοχεύων (cf. Hes. Theog. 283)
ἱππείην ἐτόκευσε γονὴν διδυμητόκος αὐχήν

(Dionys. XXXI 19 sq.)[1]). Denique Tzetzae locus adiciatur: καρατομεῖ δὲ (scil. Περσεὺς) τὴν Μέδουσαν, ἐκ τοῦ τραχήλου δὲ ταύτης ὅ τε Πήγασος οὗτος ἵππος ἐξέθορε, ὑπόπτερος ὢν καὶ ὁ Χρυσάωρ, ἄνθρωπος χρυσοῦν ἄορ κρατῶν (Hes. Theog. 283). Atque paulo post τῇ δὲ καρατομίᾳ ἐκείνης ἐκ τοῦ τραχήλου ὁρμᾷ Χρυσάωρ καὶ Πήγασος (ad Lycophr. Alex. 17).

Nec vero eadem sunt perspicuitate loci qui sequuntur: Lycophr. Alex. 842/43:

ἱπποβρότους ὠδῖνας οἴξαντος τόκων
τῆς δειρόπαιδος μαρμαρώπιδος γαλῆς;

Ovid. Fast. III 450 sq.:

---

1) Nonnus plus semel ipse se exscribit.

Creditur hic (Pegasus) *caesae gravida cervice Medusae*
sanguine respersis prosiluisse iubis[1];

Heraclit. (de incredibilibus 1) Περσέως ἀποτέμνοντος αὐτῆς τὴν κεφαλὴν ἐξελθεῖν ἵππον πτερωτόν; schol. ABRad Il. VI 155, quo loco Pegasi nomen sic enodatur: διὰ γὰρ τοῦτο ἔσχε τὸ ὄνομα, ὅτι ἐκπεπηδήκει τοῦ τῆς Γοργόνος τραχήλου[2].

3. Iam de locutione Ovidii *matris*, scil. Medusae, vel *materno de sanguine natus* disserendum est: loco Metamorphoseon (IV 785/86) Perseus cum alias res se gessisse narrat tum

eripuisse caput collo pennisque fugacem
Pegason et fratrem matris de sanguine natos[3].

Altero loco (Met. V 259) Minerva Perseum comitata his verbis utitur:

Vidi ipsum materno sanguine nasci.

Atque eadem locutio his quoque locis quos ad Ovidium redire elucet, occurrit: schol. ad Iuvenal. III 118, *quod de sanguine Medusae natus sit Pegasus*; Fulgent. Myth. I 21 *de sanguine eius nasci fertur Pegasus*, ibid. III 1 *de sanguine id est de morte Gorgonae Pegasus*; e Fulgentio autem in nonnullos Myth Vat. I et II locos fluxit[4].

Cuius locutionis quae significatio sit, exsistit quaestio. Atque ab Ovidio etiam in Gigantibus adhibetur uno ex Urani sanguine ortis: *scires e sanguine natos* (Met. I 162); et in flore ex Adonidis sanguine genito: *flos de sanguine concolor ortus* (Met. X 735). Illo loco usus est „Lactantius" (narrat. fabul. I 6): *de Gigantum sanguine nati quam sacrilega mente versati sint*[5]. Alibi vero verbis illis communis

[1]) Hunc locum certo Sidon. Apollin. c. XIV, 9 respicit: Pegasus] *cognato madidus iubam veneno.* Quem etiam alibi Ovidium imitari constat; cf. Geisler in edit. Luetjohanni p. 349 sq; Manitius, Philol Suppl. VII p. 727.

[2]) Hoc nominis veriloquium alibi quoque traditur.

[3]) Natos scil. esse. Merkelium recte interpunxisse apparet. Contra A. Riese et O. Korn verba *pennisque .... natos* coniungenda esse putant cum versu insequenti: *addidit et longi non falsa pericula cursus.* Nec vero cum his reditus periculis Pegasi Chrysaorisque ortus quicquam cohaeret, sed cum caede Gorgonis, quam Perseus copiosius ante persecutus est.

[4]) Myth. Vat. II 113 pro *(de cuius) semine* certo *sanguine* scribendum est.

[5]) Ipsa Ovidii locutio e Graeco translata esse videtur; cf. Nicand. Ther. 8: ἀλλ' ἤτοι κακοεργὰ φαλάγγια. . . . Τιτήνων ἐνέπουσιν ἀφ' αἵματος.

liberorum e parentibus ortus significatur, ut idem ac simplex nomen notent, ut his: *nostro* (scil. Solis) *genitum de sanguine* (scil. Phaetontem) (Met. II 90); *sanguine natus eodem quo . . .* (Ib. 471/72); *nullus de nostro sanguine miles erit* (Prop. II 7, 14). Tertia illius locutionis notio, quae tamen ad hanc quaestionem non pertinet, haec est, ut genus, ex quo quis natus est, indicet (cf. Ov. Met. XV 447; Fast. III 73; Heroid XVI 191). Iam quaenam priorum significationum in illos de quibus quaeritur Ovidii locos cadat, accuratius examinemus. Hub. Schmidt eandem ac Gigantum originem intellegendam esse putat[1]). Qui originis modus sane apud scholiastam Nicandri de quo supra diximus, occurrit. Nec tamen unicus ille locus propriam fabulae formam complectitur (cf. p. 10/11) Contra communi fabula de ortu uno a sanguine Gorgonis facto nihil traditur, sed Neptunus pater Pegasi nominatur. Atque vulgarem fabulam etiam Ovidio obversatam esse ex eo apparet, quod et uno et altero loco Gorgo *mater* appellatur. Neque erat, quod fabulam a ceteris discrepantem atque duobus tantum versibus afferret. Quare illic verbis *matris de sanguine* simplex nomen significari videmus.

Num vero hinc colligendum est Ovidium communem Pegasi ortum animo finxisse? Quae sane „Lactantii“ (narrat. fab. IV 7) opinio est, qui Ovidii narrationem soluta oratione interpretatus haec dicit: *utero autem Medusae huius equus Pegasus cum pennis exit.* Unde Mythogr. Vat. II 112 sua sumpsit Nec vero haec interpretatio probanda est. Neque enim ex Ovidii verbis communem nascendi modum magis colligere licet quam ex his quos e. g. ponimus locis: υἱὸν Γοργόνος Πάγασον (Pind. Ol. XIII 63); *ex Medusa . . . . et Neptuno nati sunt Chrysaor et equus Pegasus* (Hyg. fab. 151). Neque voluit de ortus proprietate Ovidius quicquam proferre. Quem collo Gorgonis desecto factum esse ipse quoque dicit (Met. IV 785).

4. Uno autem ex omnibus veterum testimoniis dictum est Pegasi ortum non solum communi modo factum, sed

[1]) Observationes archaeologicae in carmina Hesiodea; dissertat. philolog. Halenses XII (1891) p. 143 n. 8.

etiam cum Gorgonis caede nihil coniunctum fuisse. Nam apud Serv. Dan. ad Verg. Aen. II 616 hoc traditur: Medusa] *compressa a Neptuno Pegasum equum dicitur edidisse; quod posteaquam Minerva cognovit, eius caput dicitur amputasse et suo adfixisse pectori eique tribuisse vim, ut quidquid vidisset mutaret in saxum.* Quam recentiorem esse nullius auctoritatis fabulam atque e confusione quadam ortam in promptu est. Euripides enim tradit Gorgonem a Minerva caesam esse[1]). Secundum vulgarem autem fabulam Medusa e Neptuno Pegasum genuit. Quae fabulae confusae sunt.

Atque haec quidem de litterarum testimoniis. Nunc artis monumenta consideremus.

b. De memoria monumentis servata.

Cur ea non una cum illis persecuti simus, causa est, quod partim aliam atque Hesiodeam fabulae formam praebent, partim eandem secuta tamen non ad Hesiodum revocanda sunt. Fabula autem quae de Perseo et Medusa fertur, iam antiquissimis temporibus a Graecorum artificibus expressa est. Quamquam in magna parte operum quae Medusam interfectam et Perseum fugientem repraesentant, Pegasus et Chrysaor desunt. Cuius rei causa est, quod ortus illorum mirus ad ipsum Persei facinus nullius momenti est. Atque artis monumenta e litteris modo nota[2]) quoniam nullam de ortu mentionem faciunt, praetermittenda sunt.

Sed Pegasus et Chrysaor haud paucis in monumentis servatis adsunt. Quae in duas partes dividuntur, quarum altera unum Pegasum, altera etiam Chrysaorem praebet.

1. Ac primum illa consideremus. Quorum[3]) aetate primum ectypum notum templi Selinuntii C est[4]), quod paulo post urbem hanc conditam (628) aedificatum esse constat.

---

[1]) Ion. 988 sq.; quem secuti sunt Euhemerus apud Hyg. astr. II 12; „Apollod." bibl. II 4, 3; unde Minerva Γοργοφόνος appellatur: Ion. v. 1478; Orph. h. 32, 8 H.

[2]) Congessit ea F. Knatz in dissertatione saepius afferenda, quae inscribitur: Quomodo Persei fabulam artifices Graeci et Romani tractaverint (1893) p. 13; p 17.

[3]) Milchhoefer, Anfaenge p. 61 n. 2 per errorem dicit etiam Chrysaorem humana specie formatum adesse.

[4]) Benndorf, Metopen von Selinunt t. 1.

Nec vero ortus ipse expressus est. Perseus enim Gorgonis caput demum desecaturus est. Sed tamen ex artis vetustioris consuetudine Pegasus alatus Medusae bracchiis comprehensus anticipatione additus est. Ab iis autem qui Pegasum e corpore Medusae modo prosiluisse putant[1]), dissentiendum est, cum Perseus caput demum abscisurus sit. Atque etiam eorum opinio omni ansa caret, qui communem Pegasi ortum expressum esse existimant[2]). Quem una Lactantii qui vocatur, interpretatione praeberi vidimus (cf. p. 14). Atque illi nimium vetustiorum artificum consuetudinis immemores sunt, qui neglecto poesis artisque fingendi termino non unum momentum expressisse satis habent, sed etiam quod antecessit vel quod sequetur significant.

Ipsum vero nascendi momentum his in monumentis repraesentatum est. In patera Rhodia mus. Brit. nigris figuris picta[3]) Medusa quae quattuor alis praedita et tunica brevi vestita est, capite desecto in genu procubuit, e collo caput equinum eminet; Perseum aufugientem duae Gorgonis sorores persequuntur; Mercurius et Minerva, qui inter Perseum et duas Gorgones sunt, item aufugiunt. Persimilis pictura quae ipsa quoque figuris nigris multo tamen neglegentioribus ornata est, occurrit in patera Nolana mus. Berolinensis[4]). Medusa capite privata manibus protentis procubuit, e collo cui aliter atque in priore vase rivuli sanguinis effluunt, caput equinum emergit. Quas pateras inter se persimiles conexu quodam cohaerere in aperto est. Ac Knatzius[5]) recte iudicasse mihi videtur artificem paterae neglegentioris, qui ceterum aequandi et contrahendi studium ostendat, picturam priori vasi simillimam cum ea confudisse, in qua Medusae collum sanguine respersum fuerit. Qui quidem cruoris rivuli plus semel inveniuntur. Utramque autem pateram ab artificibus Atticis factam esse Furtwaengler dicit[6]). Atque C. Smith

---

[1]) Cf. Gaedechens in Ersch. et Grub. Encycl. s. v. Gorgo p. 412 n. 34.

[2]) Duc de Luynes, Etudes numismat. p. 97 sq; Knatz ibid. p. 48, 49.

[3]) Ed. C. Smith, Journ. of hellen. stud. V (1884) tab. 43.

[4]) Furtwaengler, Catal. No. 1753; ed. Gerhard, Trinkschalen II, III; Mueller-Wieseler, DAK II 71, 897.

[5]) p. 48 n. 2.

[6]) Furtwaengler in Rosch. M. L. s. v. Gorgo, I 1709.

Nicosthenis aetate illas picturas factas esse opinatur[1]. Sed in errore versari videtur. Utrumque enim opus maiorem antiquitatem redolet, ut iure VI saeculo tribuatur[2]).

Iam vero quod Medusa speciem monstri ferino capite instructi praebet, diversae virorum doctorum explicationes prolatae sunt. Quam proprietatem casu accidisse neque ullius momenti esse[3]) haud vereor, ne credas. Welcker autem artifici in animo fuisse Pegasi ortum tegere et dissimulare putat[4]). Wieseler de Medusae in Pegasum conversione cogitat[5]). Hae tamen opiniones sine dubio etiam minus probari possunt. Knatzio singularis illa Medusae forma ad exemplar deorum orientalium capitibus ferinis praeditorum ficta esse videtur[6]). Talia simulacra ut aliquantum valuerint, tamen gravissimum illud non explicatur, cur ortus Pegasi omnino significatus sit. Neque enim Pegasi originem ad ipsum Persei facinus quicquam pertinere argumentis infra evincemus. Ut autem Pegasi ortus significaretur, simulacra illa deorum orientalium in causa fuisse non possunt. Etenim in iis caput ferinum propria ipsius corporis pars est, ut de ortu non cogitandum sit. Praeterea dei orientales ipsorum equorum capitibus praediti non exstare videntur[7]). Milchhoeferi sententia supra emendata (p. 6) explicationem praebere videtur. Propria enim illa Gorgonis forma speciei pristinae memoria contineri videtur. Etenim Pegasi matrem initio integro equae corpore instructam fuisse comprobavimus. Ubi autem memoria illa iam non intellegebatur, caput equinum non Gorgonis, sed Pegasi esse putabatur.

Iam reliqua monumenta tractare pergamus.

In amphora multifariam resarta musei Neapolitani, quae figuris rubris parum accuratis atque incultis picta est[8]), Medusa

---

[1]) l. c. p. 239.

[2]) Cf. Furtwaengler, Catal. ad nr. 1753; H. Schmidt l. c. p. 36/37; p. 154.

[3]) Gaedechens, in Ersch. et Grub. Enc. s. v. Gorgo p. 413 n. 37.

[4]) Alte Denkmaeler III p. 211, 20.

[5]) DAK II 71, 897.

[6]) l. c. p. 48.

[7]) Milchhoefer, Anfaenge p. 55/56.

[8]) Heydemann, nr. 1767; ed. Mus. Borbonico XIII t. 57—59; cf. O. Jahn, Philol. XXVII (1868) p. 8; 29; Furtwaengler in Rosch. M. L. I. 1726.

capite absciso inter sorores duas Perseum fugientem persequentes in saxo sedet, e collo autem alati Pegasi[1]) caput emergit, quod item propria corporis pars esse videtur. Alae ceterum Pegaso[2]) an Medusae[3]) tribuendae sint, dubitare licet. Sane umeris Medusae adhaerent. Sed ut cum Pegasi capite coniungerentur, omnino fieri non potuit. Nihilominus huic eas tribuendas esse his argumentis probabile fit. Alae pro Gorgonis figura multo minores sunt, ad caput equinum perbene quadrant. Praeterea pinnae in altum sublatae sunt, quod cum Medusa interfecta non convenit, Pegaso subvolanti aptissimum est. Denique ne sorores quidem Gorgoneae alis praeditae sunt.

Operibus adhuc enumeratis addatur Etrusca cista.[4]) Ex collo Medusae relapsae surgit caput Pegasi anguibus Gorgoneis circumcinctum; a parte dextra soror Medusae Perseum a Mercurio exspectatum persequitur.

Imago autem maxime mira occurrit in cratera Nolana figuris rubris neglegenter picta.[5]) Perseus manu dextra falcem, sinistra cibisin gestans, e qua aeque atque in aliis monumentis crines Gorgonei prominent, appropinquat feminae tunica longa vestitae et manu sinistra coronam, dextra frondem portanti, quae capite cervino praedita est; a dextra parte in basi stat Victoriae figura alata coronam et vittam manibus tenens. Ac Gerhardus miram illam figuram Dianam-Hecaten esse iudicat, quae Perseum quodam modo ad solem referendum esse documento sit. Hermannus[6]) caput equinum, cornua autem quae videntur, sanguinis prosilientis rivulos esse conicit. Quod ipsa pictura refutatur. Qua non minus Milchhoeferi opinio repellitur, qui simplex equi caput agnoscendum esse putat.[7]) Cookius denique una ansa quae Persei figura praebetur, neglecta Iphigeniam immolandam agnoscit, quae aut cervinam Dianae personam gerat aut in cervam con-

---

[1]) Non Chrysaoris, ut Heydemannus opinatur.

[2]) Sic Heyd. l. c. et Knatz p. 21.

[3]) Sic O. Jahn l. c. p. 8.

[4]) Ed. Bencker, Roem. Mitt. VII (1882) p. 225.

[5]) Ed. Gerhard, Auserl. Vas. 89; 1, 2.

[6]) Perseus und Andromeda (1865) p. 5.

[7]) Anfaenge p. 62 n. 1.

vertatur.[1]) Neque tamen ipse Perseus dubius est. Et cum e cibisi crines Medusaei emineant, caedem iam factam esse apparet. Monstruosa igitur femina illa Gorgo esse nequit. Cui rei etiam illud obstat, quod Perseus non caput reflectit, id quod contra Gorgonem semper facit. Denique quid frons coronaque manibus Gorgonis portatae sibi vellent? Quare picturam illam ad Pegasi ortum pertinere negandum est. Quamquam quae vera mirae figurae significatio sit, ne ego quidem eruere potui. Minus tamen ad fabulam alibi haud traditam quam ad arbitrium vel socordiam artificis revocanda esse videtur.[2])

2. Haec quidem monumenta sunt, in quibus unius Pegasi ortus expressus est. Age vero ea perlustremus, in quibus et hic et Chrysaor adsunt.

Aeque autem atque in priore parte primum id opus afferendum est, in quo non ipsum ortus momentum repraesentatum est. Quod notissimum est musei Britannici anaglyphum Melium[3]) priori saeculi V dimidio tribuendum.[4]) Perseus manu sin. falcem, dextra Medusae caput portans vehitur equo alis carente; sub eo Medusa tunica longa vestita procubuit, cuius e collo nudus Chrysaor emergit. Equum autem Persei, quamquam alis caret, tamen Pegasum intellegendum esse firmis argumentis comprobari potest. Iamdudum enim constat huic anaglypho alterum Melium respondere, in quo Bellerophontes pari equo vectus contra Chimaeram pugnat[5]) Quoniam hunc Bellerophontis equum omnes Pegasum agnoscunt, non est cur non etiam Persei equus Pegasus existimetur. Neque omnino intellegi potest, cur artifex ipsos Bellerophontem et Perseum alterum alteri respondentes ficturus fuerit, nisi vinculo quodam inter se conexos putasset. Hoc autem utriusque cum Pegaso coniunctio est. Praeterea nisi Persei equus Pegasus esset, unus Chrysaoris ortus exstaret, Pegasi nihil significaretur. Quod nullo in alio opere occurrit. Scyphum

---

[1]) Journ. of hellen. stud. XIV (1894) p. 135/36.

[2]) O. Jahn l. c. p. 8 n. 30.

[3]) Ed. Millingen, Anc. uned. mon. II, 2 et alibi.

[4]) Furtwaengler in Rosch. M. L. I. 1719. O. Rossbach, Griech. Antiken in Breslau (1889) p. 21; H. Schmidt l. c. p. 152.

[5]) Ed. Millingen ibid. II, 3.

enim aliis quoque rebus mirum,[1]) in quo e collo Medusae unus Chrysaor nudus prodit, falsarii opus esse Stephanius cognovit.[2]) Caput quoque humanum quod in amphora Caeretana[3]) inter alas Gorgonis trucidatae prominet, ab homine recenti additum est.[4]) Alia vero quaestio est, sitne Perseus e vetustissima fabula Pegaso vectus. Quod cum postea fusius expositurus sim, negandum esse nunc brevi indicasse satis habeo. Cur enim Pegasus omnino adsit, illa causa est, quod ipse quoque aeque ac Chrysaor post Medusae caedem natus esse fertur. Perseus autem nullam ob aliam rem eo utitur, nisi ut Bellerophonti equo vecto respondeat. Quod iam dudum Lewezowius recte intellexit,[5]) ut Panofka de solio Aesculapii Epidaurii admonuit, in quo Thrasymedes et Medusam a Perseo caesam et Chimaeram a Bellerophonte interfectam sculpserat.[6]) Quod Brunnius et Sixius coniecerunt anaglypha illa Melia solii Epidaurii imitationes esse,[7]) id titulo Epidaurio refellitur, quo Thrasymedem quarto demum saeculo fuisse docemur.[8]) Fieri tamen potest, ut Thrasymedes et anaglyphorum artifex ex eodem fonte hauserint.[9]) Ceterum anaglypha illa Melia cum arte Ionica cohaerere videntur.[10])

Iam ipsum ortus momentum in sarcophago Cyprio fictum est.[11]) E collo Medusae quattuor alis praeditae tunicaque longa vestitae Pegasus et Chrysaor, hic dextra, ille sinistra prodeunt; mater altera manu bracchium Chrysaoris, altera pedem Pegasi tenet. A dextra parte Perseus falcem et cibisin e baculo pendentem portans discedit. Inter Medusam et Perseum canis ad dextram conversus sedet. Quodsi Knatzius

---

1) Ed. Stackelberg, Graeb. d. Hellen. 39.

2) Compte-Rendu p. 1881 p. 36.

3) Ed. Mon. dell.' Inst. VIII 34, 2.

4) Cf. Knatz l. c. p. 19, nr. 11.

5) Ueber d. Entwickl. des Gorgonen-Ideals (1833) p. 60 sq.

6) Asclep. und die Asclepiaden (1846) p. 17 n.

7) Abhandlg. der bayr. Akad. 1872 p. 535; — De Gorgone (1883) p. 55.

8) Cf. Overbeck, Plastik II[4] p. 126 n. 24—26.

9) Cf. Knatz p. 52.

10) Furtwaengler in Rosch. M. L. I, 1710; H. Schmidt l. c. p. 154; Knatz p. 48.

11) Cesnola, Collect. of Cypr. ant t. 74 nr. 478; Perrot-Chipiez, Hist. de l'art III p. 612 fig. 419.

sarcophagum paucis decenniis ante heroum Trysaeum factum esse putat,[1] seriori aetati tribuit, et H. Schmidtii iudicium propius ad verum accedere videtur, qui exeunti VI saeculo eum asccribendum esse dicit.[2] Anaglyphum autem arti Ionicae cognatum esse quattuor alae et tunica longa documento sunt.[3]

Cui operi amphora rubris figuris picta quae in Etruria fabricata esse videtur, subiungatur.[4] E collo Medusae alatae longa tunica luxuriosa vestitae Pegasus ales et Chrysaor nudus emergunt; in altero vasis latere Gorgonis soror Perseum falcem et cibisin gestantem persequitur. Haec quoque pictura quodam modo cum arte Ionica cohaerere videtur.[5]

Etiam in scarabaeo Etrusco e collo Medusae longa tunica vestitae Pegasus et Chrysaor oriuntur.[6] Quae gemma unde provenerit, Furtwaengler non dicit. Certo eadem est atque scarabaeus prope Cortonam inventus, quem quondam Depoletti, Romanus ille operum arte factorum mercator, possedit.[7]

Quod vero R. Merkel dixit in vase quod a François nominatur, vesti Fortunae ortum Pegasi et Chrysaoris intextum esse[8], perperam se habet. Nam cum alia tum simplices complures equi alati ficti sunt.[9]

Singulare autem est vasculum Nolanum musei Brit. lineamentis elegantissime depictis ornatum.[10] Prope columnam sphinge coronatam Medusa alata concidit, a dextra parte Chrysaor nudus humi sedet, supra Pegasus ales in aere suspensus est; a sinistra parte duae Gorgones Perseum fugientem persequuntur; ante eum Mercurius currit, Minerva subsistit. Sin-

[1] l. c. p. 51.

[2] l. c. p. 154.

[3] Furtw. Rosch. M. L. I, 1710; Knatz p. 48; 51; H. Schmidt p. 153.

[4] O. Jahn, Cat. d. Vasensamml. Koenig Ludwigs nr. 910; ed. Gerhard, Auserl. Vas. 89; 3, 4; cf. O. Jahn, Philol. XXVII p. 8.

[5] Furtw. in Rosch. M. L. I, 1711; Knatz p. 48.

[6] Ed. Furtw., Gemmen I tab. XX, 37.

[7] Arch. Ztg. XX (1862) p. 287*; Arch. Ztg. XXI (1863) p. 26* n. 64; Bullet. 1862 p. 8.

[8] Arch. Ztg. XXII (1864) p. 205.

[9] Stephani, Compte-Rendu p. 1878/79 p. 110; Weizsaecker, Rh. Mus. XXXII (1877) p. 46.

[10] Ed. Monum. dell' Inst. (1855) tab. II; p. 17; cf. O. Jahn, Philol. XXVII p. 9 n. 32.

gulare hoc opus dixi propterea quod et Pegasus et Chrysaor e corpore matris iam egressi sunt. Et quoniam alter humi sedet, alter subvolat, H. Schmidt, qui iure vasculum V saeculo tribuere videtur, bene coniecit artifici Hesiodi versus obversatos esse (Theog. 284/85) [1])

3. Iam artis operibus perlustratis existit quaestio, utrum iure in duas partes a nobis divisa sint necne. Pariter autem atque in artis monumentis etiam in litteris modo solus Pegasus, modo cum Chrysaore cernitur. Quas si percurris, animadvertes Chrysaorem praeteriri, ubi uno de Pegaso vel ut equo Bellerophontis vel ut Hippocrenes auctore agitur, contra addi, ubi ortus fabula narratur. Velut Ovidius Met. IV 786 ubi ortus mentionem facit, et Pegasum et Chrysaorem profert, Met. V 259, quo versu illum locum respicit (cf. p. 13), unum Pegasum nominat, quoniam de Hippocrene a Pegaso fusa verba facit. Atqui illorum artis operum quae omnia ad ortus fabulam referuntur, ipsa dimidia pars unum Pegasum praebet, reliqua quinque etiam Chrysaorem ostendunt. Hoc ergo non inde ductum esse potest, quod Chrysaor minoris momenti sit. Ipsa autem ea monumenta quae cum arte Ionica cohaerere vidimus, et Pegasum et Chrysaorem praebent, in operibus Graeciae occidentalis unus Pegasus occurrit. Sequitur ut altera monumentorum pars ad alteram fabulae formam redeat. Atque opera in quibus unus Pegasus reperitur, ad Graeciae, cetera ad Asiae fabulam revocanda sunt.

Iam inquiramus, qualis ratio inter ea et veterrimum litterarum testimonium, Hesiodi Theog. 280/81, sit. Hos autem versus cum illis operibus in quibus unus Pegasus expressus est, nihil cohaerere in aperto est. Quare Hesiodo monumentum quoddam obversatum esse, in quo e Medusae collo caput equinum emerserit,[2]) negandum est. Ac certo ne de tali quidem monumento cogitavit, in quali et Pegasus et Chrysaor adfuerunt. Inspicias enim versus: animadvertes neque de Medusae nec de Persei specie quicquam dici. Qua in re Scutum Herculis quod vocatur, maxime differt (v. 216 sq.).

---

[1]) L. c. p. 154; p. 175/76.
[2]) Sic Knatz l. c. p. 48.

Quantopere vero verba quae Hesiodus de ortu Pegasi et Chrysaoris facit, obscura sint, supra exposuimus. Eam autem ipsam ob causam etiam improbandum est artifices qui Pegasi et Chrysaoris ortum finxerunt, Hesiodi rationem habuisse. Ceterum omnino Hesiodi carmina si ullam[1]), certe parvam vim ad artes habuerunt.[2]) Quae cum ita sint, apparet et Hesiodum et artifices qui Pegasum una cum Chrysaore nasci faciunt, eadem fabulae forma Ionica usos esse. Ac Duemmler Hesiodum e Perseide quadam hausisse conicit.[3]) Il. XIV 320 in catalogo quo Iovis amores enumerantur, Perseus ἀριδείκετος ἀνήρ appellatur. Hunc autem catalogum (XIV 317—328) seriore aetate interpolatum esse iam Aristophanes Byzantius recte intellexit (cf. schol. A. ad. Il XIV 320). Unum vasculum Nolanum quodammodo ex Hesiodo pendere vidimus, non ita ut artifex verba Theogoniae illustraret, multo enim obscuriora erant, sed ut traditum fingendi modum aliquantum mutaret.[4])

c. De Perseo a prima ortus fabula alieno.

Cum plerisque igitur litterarum testimoniis omnia artis monumenta ita concinunt, ut Pegasum e collo Medusae a Perseo caesae nasci faciant. Tamen argumentis evincere posse mihi videor hanc non primam fabulae formam fuisse.

Ac fabula illa saepe cum Minerva comparata est, quae e capite Iovis a Vulcano vel a Prometheo fisso orta esse fertur.[5]) Hac tamen comparatione e contrario discimus, quantum duae fabulae differant, ac quid fabulae quae de Pegasi ortu fertur, proprium sit. In altera enim fabula omnia deae origine contineri plurima artis monumenta gravissimo documento sunt. Quod Iovis caput finditur, nihil est nisi proprius pariendi modus, quem multo minoris momenti esse quam ortum ipsum per se intellegitur. Ea vero in fabula quae de Pegaso tradita est, non tam de ortu quam de caede

---

[1]) Brunn, Abhandlg. der bayr. Akad. 1889, II p. 73 sq.

[2]) H. Schmidt l. c p. 175/76.

[3]) In Paul.-Wiss. s v. Athena II p. 1973.

[4]) H. Schmidt l. c. p. 175/76.

[5]) Cf. Roscher, Gorgonen und Verwandtes, p. 30 sq.

agitur.[1]) **Medusa interficitur.** Ac Perseus collum eius persecat, non ut Pegasum et Chrysaorem in lucem producat, sed ut ipsum caput Gorgoneum, expeditionis periculosae praemium, consequatur. Ac cur caput secum portaret, si unius ortus causa abscisum esset? Neque quod Pegasus et Chrysaor caede Gorgonis prodeunt, Persei consilio, sed casu fit, neque ad ipsum Persei facinus pertinet. Quod cum litterarum testimoniis cognosci, tum artis monumentis perspici potest. Neque enim Perseus Pegasi ortum curat, sed semper iam discessit, cum Pegasus nascitur. Quod cum in singulorum operum descriptione supra monuerim, illuc relegasse satis habeo. Atque ne Melium quidem anaglyphum in quo Perseus Pegato vehitur (cf. p. 19 sq.), excipitur. Etenim hic quoque Perseus terribile caput secum asportat neque Chrysaorem, cui Pegasus ut Gorgonis stirps omnino par est, quicquam curat. Neque in maiore monumentorum parte quae ad caedem Gorgonis a Perseo factam pertinent, mirabilis ortus omnino expressus est.[2]) Unde non minus patet Pegasi originem ad Persei facinus nullius momenti esse. Litteras autem cum artis operibus concinere iam diximus. Ortum enim Pegasi et Chrysaoris post caedem Gorgonis evenisse sane testantur. Sed Perseum ortus causa expeditionem fecisse nusquam traditum est. Caedes igitur Medusae non ortus ab ipso Persei facinore alieni, sed ipsius causa confecta est.

Cui rei etiam hoc patrocinatur, quod matrem Pegasi primo equinam fuisse supra vidimus (cf. p. 3 sq.). Contra caput a Perseo abscisum quamvis terribile sit, tamen semper humanam speciem praebet. Unde patet capitis desectionem a prima illa Gorgonis forma utique alienam ac postea demum esse adiectam.[3])

Atque caedem ortumque primo non cohaesisse haec quoque documento sunt.

Aliae duae de Medusae caede fabulae traditae sunt.

---

[1]) Quod Duemmler in Paul.-Wiss. s. v. Athena II p. 1973 iniuria invertit.

[2]) Cf. Knatz l. c. p 17 sq.

[3]) Cf. Langbehn, Fluegelgestalten d. alt. griech. Kunst (1881) p. 131 sq.; Milchhoefer, Arch. Ztg. 39 (1881) p. 283 sq.; P. Kretschmer, Arch. Jahrb. VIII (1893) p 34.

Tegeatae ut summum urbis suae praesidium crinem Gorgonis venerabantur, quo hostibus obtento victoriam ferebant. Hic crinis in templo Minervae Πολιάδος erat, quod ob id ipsum etiam τὸ τοῦ ἐρύματος ἱερόν vocatum esse apparet. Minerva autem crinem illum donasse dicebatur.[1]) Cuius doni Gorgonis caedem condicionem esse sponte apparet. Nec vero utrum Minerva ipsa eam commiserit necne, quicquam nostra refert. Hoc autem maximum est Tegeatis caede Gorgonis praesidium urbis obtigisse. Inde enim intellegi potest capitis monstruosi desectionem non ortus, sed sua ipsius causa necessariam fuisse. Pegasi vero in hac fabula nulla mentio fit. Neque in aliis Tegeaticis fabulis aut ipse aut figurae arte cum hoc conexae, ut Bellerophontes et Chimaera, unquam reperiuntur. Atqui nonnullis viris doctis Tegeatica ex Argivorum fabula in qua Perseus Gorgonem cecidisse fertur, pendere videtur.[2]) Hoc ut verisimile est, ita illud eo gravius est Pegasi figuram in fabula Tegeatica deesse. Num fieri potuit, ut fabella de fisso Iovis capite ortu Minervae praetermisso transferretur? Minime. Altera autem fabula atque qua diserte Medusae caedes narratur, Attica est, primo ab Euripide prolata.[3]) Atque Minerva Gorgonem interfecisse fertur. Quo tamen cum facinore in nullo nec litterarum nec artis monumento Pegasi ortus coniunctus est. Quod item indicio est caedem Medusae et Pegasi originem primo omnino non cohaesisse.[4])

Atque eadem cum re fabulae similes plus semel adhibitae (cf. p. 4 sq.) optime conveniunt. Nam ne in una quidem ex illis ortus per vim ac caede matris confectus esse narratur.[5])

---

[1]) Cf. nummos Tegeaticos quarto vel posteriori saeculo tribuendos; Head. H. N. p. 380; „Apollod.“ bibl. II 7,3; Pausan. VIII 47,4; Schwedler, de rebus Tegeaticis, Leipzig. Stud. IX (1886) p. 290/91.

[2]) O. Mueller, Klein. Schrift. II p. 171; Gruppe, Griech. Mythol. I p. 204.

[3]) Singulos locos supra p. 15 n. 1 attulimus. Caedis cum Gigantomachia coniunctio posteriori aetati tribuenda est; cf. Max Mayer, Giganten und Titanen (1887) p. 189; v. Wilamowitz, Heracles² II p. 198.

[4]) Equus ales in galea, scuto, solio Minervae expressus non huius loci est, sed alibi tractabitur.

[5]) Qua similitudine nisus iam Milchhoefer collegerat Pegasi ortum a Gorgonis caede primo alienum fuisse; cf. Arch. Ztg. XXXIX (1881) p. 281 sq.; Anfaenge p. 62.

Ergo mirum ortus genus quod plane ad proprium caedis modum, capitis sectionem, se accommodavit, a prima fabulae forma secludendum esse videmus. Pegasi autem originem cohaerere cum vetustissima quam initio tractavimus fabula, secundum quam Neptunus equus Medusam equinam compressit, in aperto est. Prima igitur fabula ea fuisse videtur, ut e coniugio Medusae equinae et Neptuni equini Pegasus prodierit.

d. De Chrysaore a prima ortus fabula alieno.

Iam nos vocat quaestio, utrum iure a prima fabulae forma Chrysaorem qui cum Pegaso artissime coniunctus videtur, secluserimus.

Atque Chrysaor ab Hesiodo μέγας vocatur (Theog. 281), ut non parvi momenti fuisse videatur. Fabulis autem Graecorum perlustratis χρυσάωρ sane ut nonnullorum deorum, Dianae, Apollinis, Cereris, cognomen occurrit. Nec vero usquam alibi numen proprium huius nominis invenitur neque in ceteris Persei et Medusae neque in Bellerophontis neque in aliis de Pegaso fabulis. Num vero putandum sit aliud „magni" Chrysaoris vestigium omnino evanuisse?

Singulare autem nominis illius numen in Caria reperitur. Mylasus enim a quo Mylasa, Cariae urbs, dicta esse traditur, τοῦ Χρυσάορος, τοῦ Γλαύκου, τοῦ Σισύφου, τοῦ Αἰόλου fuit (Steph. Byz. s. v. Μύλασα). Quae Chrysaoris genealogia sine dubio cum eo Herodoti loco cohaeret quo gentes quasdam Ionicas litoris Asiatici a Glauco originem repetivisse dicitur (I 147). Primo autem Chrysaor in capite genealogiae illius fuisse videtur, ut alibi pater Idriei dicitur, a quo Idrias, urbs Cariae, nominata esse fertur (Steph. Byz. s. v. Εὔρωπός). Cui urbi prius nomen Χρυσαορίς fuisse dicitur (Steph. Byz. s. v. Ἰδριάς; cf. Pausan. V 21, 5). Quo tempore priore neque eponymi Idriei neque Idriae nomen exstitisse apparet. Inde quod Χρυσάωρ pater Idriei illius nominatur, certo concludere licet Chrysaorem quondam nominis Χρυσαορίς auctorem ductum esse. Sed universa quoque regio olim Χρυσαορίς appellata erat (Steph. Byz. s. v. Χρυσαορίς, ubi Epaphroditum sequitur). Quae cum sine dubio et ipsa cum Chrysaore cohaeserit, Chrysaor olim proavus omnium existimatus esse

videtur qui illam regionem incolebant. Atque hoc optime eo confirmatur, quod praeter Chrysaorem etiam Car, totius gentis auctor, Idriei pater nominatur (Steph. Byz. s. v. Ἰδριάς). Futurum vero fuisse, ut proavo atque auctori totius gentis magni honores tribuerentur, facile exspectatur. Atqui in Caria celebrem „Iovis“ Χρυσάορος cultum exstitisse traditum est. Itaque hunc Chrysaorem eundem atque illum Carum proavum esse iure ponere licet.

Carium autem Chrysaorem eundem ac Gorgonis stirpem esse Schoemannus[1]) et alii suo Marte posuerunt. Hoc tamen iure fieri argumentis comprobandum est. Ac Chrysaoris qui ab Hesiodo „magnus“ nominatur, omne vestigium periisse non verisimile est. Quod si ita est, unus Carius Chrysaor invenitur, ad quem magnus Gorgonis filius referri possit. Neque illud offensioni est, quod ceteris rebus fabulam omnino Graecam esse videbimus. Ipse enim Chrysaor in prima fabula forma defuit. Cui rei hoc documento est. In vetustissima fabula Neptunus equus cum Medusa equina Pegasum genuit. Theogoniae autem e versu 283:

ὁ δ᾽ ἄορ χρύσειον ἔχεν μετὰ χερσὶ φίλῃσι

apparet Hesiodo Chrysaorem non ut equinum, sed specie humana obversatum esse. Quae si pristina eius species fuit, id quod sine causa dubitaremus, in aperto est eum primo non duorum equorum stirpem fuisse. Unde apparet Chrysaorem non pristinae fabulae tribuendum, sed postea additum esse. Atque analogiam praebet fabula quae de Despoenae origine est. Quae humana specie praedita una cum equo Arione a Neptuno equo et equina Cerere-Furia (Demeter-Erinys) nata erat. Nec tamen huic genealogiae Despoena prius adiecta est, quam Ceres (Δημήτηρ) Furiae (Ἐρινύι) exaequata esset. Deinde si meminerimus, quod didicimus ipsa monumenta cum Ionica Asiae arte conexa Chrysaorem et Pegasum, cetera unum Pegasum praebere (cf. p. 22), elucet Chrysaorem in oriente demum fabulae additum esse. Quae res maxime indicio est iure nos Chrysaorem Hesiodi eundem ac Carium ducere. Et Chrysaorem alibi quoque ut Glauci filium Graecae genealogiae insertum esse iam vidimus.

[1]) Opusc. II p. 206.

In Caria autem Graecos et Cares varie mixtos esse constat. Ut Halicarnassus, Dorum colonia, quae dialecto Ionica utebatur, ab initio non minus Carica quam Graeca erat[1].)

Doricis autem a colonis, quos fabulam hanc e Peloponneso in Asiam transtulisse videbimus, Chrysaor Neptuni et Gorgonis filius factus erit[2]). Quamquam H. Schmidt contendit hanc genealogiam Caribus aut eorum finitimis Asiaticis tribuendam esse[3]). At certo suum ipsorum deum non a quodam Graecorum numine duxissent, praesertim cum prius in Asia constitissent quam Graeci. Atque hoc quoque Graecae origini illius genealogiae patrocinatur. Ipsum enim Χρυσάορος nomen Graecum esse apparet. Atque etiam Graecorum quibusdam numinibus cognominis loco idem additum esse vidimus. Cares vero si illam genealogiam finxissent, nomen dei patrii non in Graecum versuros fuisse per se intellegitur. Graecum autem nomen dei Carici ita explicandum esse videtur. Plutarchus Carum λάβρυν idem ac Graecorum πέλεκυν significare tradit (Qu. Gr. 45, 302 A.). Unde verisimillima coniectura collectum est vocem Chrysaoris, cuius numinis in Caria cultus celeber erat, ad Labrandei versionem usui fuisse[4]).

Qui vero factum sit, ut Chrysaor fabulae Gorgonis sit insertus, erui posse non videtur. Repetatur autem hic quoque memoria analogiae quam similis de Despoenae origine fabula praebet. Illud tamen reiciendum est, quod Jessen putat Chrysaorem fabulae ab Hesiodo demum additum esse, qui in enumeranda Phorcyos Cetusque posteritate (Theog. 270 sq.) Medusam et Geryonem (287 sq.) coniungere voluerit[5]). Hoc si in animo habuisset, Chrysaoris loco ipsum Geryonem Medusae prolem facere potuit.

e. De patria fabulae.

Reliquum est, ut de regione in qua fabula orta sit, disseramus.

---

[1]) Cf. Ed. Meyer, Gesch. d. Altert. II § 179.

[2]) Cf. Tuempel, Fleckeisens Jahrbücher Suppl. XVI (1888) p. 160.

[3]) l. c. p. 153.

[4]) Preller-Rob., Griech. Myth. I p. 141, 2; P. Kretschmer, Einleitung p. 304/5.

[5]) Paul.-Wiss. s. v. Chrysaor, III 2484.

1. Ac veterum testimoniis Gorgonum domicilium, ubi Medusa a Neptuno vitiata post Persei caedem Pegasum edidit, in regione fabulari collocatum est. Ut Hesiodus Gorgones habitasse dicit:

πέρην κλυτοῦ Ὠκεανοῖο,
ἐσχατιῇ πρὸς νυκτός, ἵν' Ἑσπερίδες λιγύφωνοι

(Theog. 274/75); ibidemque Medusam a Neptuno

ἐν μαλακῷ λειμῶνι καὶ ἄνθεσιν εἰαρινοῖσι

(Theog. 279) esse compressam atque a Perseo capite privatam, quo facto Pegasus prosiluerit, cui hoc nomen inditum sit,

ὅτ' ἄρ' Ὠκεανοῦ περὶ πηγὰς
γένθ'

(Theog. 282/83). Iam vero Hesperides aurea mala custodire constat, quae in deorum horto nasci dicuntur. Μαλακὸς autem λειμὼν ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν ornatus sedis piorum proprius est, a qua hortus ille primo non differebat[1]). Num igitur Gorgones horribiles in illo piorum loco moratas esse censendum est? At vera Hesperidum natura in illo cernitur, quod et una cum Thanato similibusque numinibus proles Noctis sunt[2]) et quod auctore Acusilao illarum loco Harpyiae mala deorum custodiunt, quas omnino easdem atque Hesperides esse Epimenides testis est[3]). Etenim in illa occidentis regione orci quoque numina versantur. Atque illic inferorum sedem esse inde a prisca antiquitate credebatur[4]). Haec autem sine dubio occidentalis Gorgonum habitatio intellegenda est[5]).

Cui sententiae et illud favet, quod Gorgones non semel in orco collocantur: Hom. Od. XI 633 sq. Ulixes narrat:

ἐμὲ δὲ χλωρὸν δέος ᾕρει,
μή μοι Γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου
ἐξ Ἀΐδεω πέμψειεν ἀγαυὴ Περσεφόνεια,

atque in pictura parietaria sepulcri quod Tomba dell' Orco

---

[1]) Cf. Pseudo-Plat. Axioch. p. 371c ἔνθα παντοῖοι δὲ λειμῶνες ἄνθεσι ποικίλοις ἐαριζόμενοι; Dieterich, Nekyia p. 21.

[2]) Hes. Theog. 211 sq.; cf. v. Wilamowitz, Heracl.² II p. 97; Rohde, Rhein. Mus. L (1895) p. 3, n. 1.

[3]) v. Wilamowitz, ibid.; Rohde ibid.

[4]) Cf. Dieterich, Nek. p. 23.

[5]) Rohde l. c. p. 4.

nominatur, Proserpina caput Gorgoneum gestat[1]); apud Aristophanem Ran. 475 sq. Γοργόνες Τιθράσιαι atroces orci figurae sunt; Argis caput Gorgoneum in foro sepultum erat; Perseus Medusam interfecturus Orci galea induebatur; Γοργύρα, a qua voce brevior forma Γοργώ ducta esse videtur, Acherontis mulier nominatur; conferas praeterea Verg. Aen. VI 289, „Apollod." bibl. II 5, 12[2]). Atque orcum habitationem Gorgonum putandum esse etiam illud indicio est, quod Hes. Theog. 275 ἐσχατιῇ πρὸς νυκτὸς morari dicuntur. Quo loco νύξ vox sane nihil nisi quandam caeli regionem significat, sed Hesiodus ea non usus esset, si Gorgones in occidentali beatorum sede versantes finxisset, cuius quidem sempiternam serenitatem propriam fuisse et candorem perpetuum praedicari constat. At Hesperides, quarum ibidem domicilium est, Noctis filiae feruntur.

Nec vero μαλακὸς λειμών aut ἄνθη εἰαρινά quicquam prohibent, quominus Gorgones in orco morantes fingantur. Nam deorum hortus et piorum sedes et orcus haud raro confunduntur, ut postremo piorum domicilium ipsius orci pars facta sit[3]). Cur autem illo Hesiodi loco e rebus beatorum sedis propriis ipse μαλακὸς λειμὼν nominetur, singularis causa esse videtur. Medusam enim equinam a Neptuno equo vitiatam esse vidimus. Quod in prato quodam factum esse e fabulis similibus colligendum est. In prato enim Neptunus equus compressit equinam Cererem-Furiam (Pausanias VIII 25, 4); pascentes Erichthonii equas Boreas equinus βοσκομένας saluit (Il. XX 223); Harpyiam Podargen βοσκομένην λειμῶνι παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο Zephyrus (Il. XVI 151). Harpyiae autem in extrema occidentis regione habitant Quoniam etiam Neptunum et Medusam in prato olim coisse pro certo habendum est, fabula in extrema occidentis parte collocata ipsum illud pratum cum arvo in piorum sede sito facile exaequari potuit. Quare si ipse campus sedis piorum ab Hesiodo affertur, memoria prati in quo Neptunus et Medusa corpora ferina miscuerunt, conservata esse videtur[4]).

[1]) Cf. Maxim. Mayer, Arch. Jahrb. VIII (1893) p. 200 n. 38.
[2]) Rohde, Psyche² II p. 408.
[3]) v. Wilamowitz, Heracl.² II p. 97; Dieterich, Nek. p. 23.
[4]) Cf. Milchhoefer, Anfaenge p. 61.

Sed cum sedes illa in extrema occidentis parte sita inferiore aetate modo hic collocaretur modo illic, et Gorgonum domicilium et locus quo Medusa a Perseo caesa Pegasum edidit, mutabatur. Ut Pegasus a Nonno Λίβυς ἵππος vocatur (Dionys. XXXVIII 402), quod Libya una ex regionibus est, ubi occidentalem numinum sedem esse veteres finxerunt[1]). Ceterum de locis in quibus Gorgones collocabantur, videas quae Roscher et Tuempel protulerunt[2]).

Iam vero optime cum illis quae de Gorgonibus in orco versatis diximus, convenire videtur coniectura quam Knatzius ex artis quibusdam monumentis fecit.

In sarcophago Cyprio supra descripto (cf. p. 20) inter Medusam caesam et Perseum discedentem canis uno capite praeditus sedet. Quem Anubim significare[3]) refutatum est[4]). Neque illi cani vim sepulcralem inesse concedendum est[5]), cum fabula ipsa in sarcophago expressa nullam ansam praebeat. Knatzius autem canem illum Cerberum esse censet[6]). Quem eundem etiam in anaglypho heroi Trysaei expressum esse putat. Ubi Perseus manu sin. Medusae caput portans magnis gradibus ad sin. fugit. Ante eum quaedam res saxum vel collem significans exstat, ante quam canis uno capite instructus prominet[7]). Ac Knatzius de illis quos supra attulimus locis admonet, qui Gorgones in orco versatas esse documento sunt.

At etiamsi Cerberus nonnunquam uno capite indutus est et ceteris quibus insigniri solet, rebus caret, tamen maxime mirum esset in ipso utroque illo monumento altero cum altero nihil conexo raram Cerberi speciem exhibitam esse. Neque canem locum caedis Gorgoneae significare puto sed comitem esse, qui in fabula quadam nobis non tradita Perseo

---

[1]) v. Wilamowitz, Heracl.[2] II p. 99.

[2]) Gorgonen und Verwandtes, p. 27 sq; — Aethiopenlaender, Fleckeisens Jahrbuecher Suppl. XVI p. 160 sq.

[3]) Sic Ceccaldi. Monum. ant. de Chypre p. 71.

[4]) Perrot-Chipiez, Hist. de l'art III p. 616.

[5]) Sic Cesnola, Cyprus p. 113.

[6]) l. c. p. 51/52.

[7]) Benndorf, das Heroon von Gjoelbaschi-Trysa, Taf. 19, 9.

attributus fuerit[1]. Atque etiam aliis heroibus canis adiectus est: Meleagro, Ulixi, Dioscuris aliisque.

Illud vero in extremo occidente domicilium nonnullis viris doctis indicio esse visum est Gorgonum fabulam ad tempestatis naturam referendam esse. Nubes enim ab occidentis parte exsurgere solitas esse[2]. Neque tamen haec sententia probanda est. Atque in universum quidem Crusius iure contradixit[3], singillatim autem opponenda sunt primum, quod etiam Harpyiae aliaque numina in occidentis regione extrema morantur, — an et iis omnibus natura tempestatis subiecta sit? — deinde quod antiquis satis temporibus Gorgones variis in regionibus atque etiam in terris occidenti contrariis, ut Hyperboreorum et Aethiopum, collocatae sunt.

2. Restat ut de singulari quodam Ovidii loco (Met. IV 794 sq.) verba faciamus. Gorgo *„clarissima forma multorumque spes invidiosa procorum“* a Neptuno in quodam Minervae templo compressa esse dicitur, quam ob rem dea pulcherrimos eius crines in angues mutaverit. Quae fabella e quodam Ovidii commentario[4] in narrationes fabularum quae Lactantii vocantur (IV, 20) fluxit; unde sumpsit Myth. Vat. I 131, quem ipsum Myth. Vat II 112 secutus est.

Quoniam mira Gorgonis pulchritudo inferioris aetatis fabula continetur, etiam illam crinis mutationem posteriori tempori tribuendam esse apparet. Quamquam iam Hesiodum Gorgones pulchras finxisse a nonnullis dictum est, quod de terribili specie nihil proferat. Hoc tamen uno e silentio conclusum est. Hesiodum ipsum de specie nulla verba facere nihil miri habet Pindari praeterea locus affertur, quo Medusa εὐπάραος vocatur (Pyth. XII 16). Attamen videas quae numina ab Hesiodo καλλιπάρῃα nominantur[5]: Graeae (Theog. 270), quae ἐκ γενετῆς πολιαί; Echidna (298), πέλωρον ἀμήχανον

---

[1]) Idem censent Perrot-Chipiez, Histoire de l'art III p. 616; Max. Mayer, Verhandlg. der Goerlitz. Philol.-Versammlg. (1889) p. 348.

[2]) Cf. Roscher, Gorgonen u. Verw. p. 17 sq.

[3]) Philol. L (1891) p. 94 n. 1.

[4]) Cf. R. Foerster, der Raub und die Rueckkehr der Persephone (1874) p. 290.

[5]) Pindarus neque voce εὐπάραος alibi neque καλλιπάρῃος omnino usus est.

(295), cuius pars inferior anguis terribilis erat (299); Ceto (238), multorum monstrorum proava (270 sq.). Atque iisdem etiam Gorgones insertae sunt. Quare illa Pindari voce perfectam Gorgonis pulchritudinem evinci negandum est. Pulchriorem autem Gorgoni speciem a Myrone primo datam esse Furtwaengler opinatur.[1])

Tanta autem ei formositas sensim attribuebatur, ut pristinae foeditatis memoria anguineae solum comae restarent.[2]) Non vero hanc Gorgonis speciem ab Alexandrinis metamorphoseon poetis neglectam sed crinis anguinei causam fictam esse per se intellegitur [3])

Quare cum mira Medusae pulchritudo et crinis mutatio seriori aetati ascribenda sit, Ovidii verbis nihil fabulae vetustioris contineri posse videtur, nisi quod Neptunus Medusam atque formositate carentem in templo Minervae vitiaverit. At e prima quidem fabulae forma Neptunum et Gorgonem ferina corpora atque in prato miscere vidimus. Ubi Minervae nulla omnino ratio habetur. Praeterea quomodo in templum Minervae equi duo veniant, non intellegendum est. Itaque Ovidianae fabulae origo non antiquissimis, sed illis temporibus ascribenda esset, quibus Pegasi parentibus non iam beluarum forma, sed species humana tribui coepit Attamen quomodo monstrum Medusaeum, cui Minerva semper adversariam se praebet, nullo impedimento in templum pervenit? Et quid ei ibi negotii est? Non enim Medusam in aede ipsius Minervae versari certo momenti nullius esset. Atqui Gorgonis poenam Alexandrinis poetis ascribendam esse vidimus. Ergo patet in priore fabulae forma Minervam, quippe quae nihil agat, nullius momenti futuram fuisse. Quae cum ita sint, stuprum Neptuni in templo Minervae collocatum non pro vera fabula habendum, sed poetis ascribendum esse apparet.

Sic autem fabella orta esse videtur: anguineae comae Medusae, virginis ceterum pulcberrimae, erant explicandae. Nec vero Perseum qui Gorgonis adversarius nominari solet,

---

[1]) Meisterwerke p. 326; 388.

[2]) Furtwaengler in Rosch. M. L. s. v. Gorgo I 1709 sq.; Brunn, Griech. Goetterideale (1893) p. 53 sq.; Loeschcke, die Enthauptung der Medusa (1894) p. 12 sq.

[3]) Rohde, Griech. Roman[2] p. 98.

crinem mutare potuisse in promptu est. Itaque una Minerva reliqua erat, quam quidem non minus Medusae adversariam esse scimus. Causa tamen afferenda erat, cur Minerva a Gorgone poenam repeteret. Ipsum autem stuprum a Neptuno commissum cum mutationem a Minerva factam nondum explicare posset, in templo illo collocabatur. Quam ad rem fabulae similes valuisse mihi videntur. Poetas enim Alexandrinos quae ipsi finxerint, ea ad vetustiorum fabularum exemplar formare solitos esse constat. Atque exempli causa illa fabula afferatur, qua Aethram Sphaeria in insula manes expiantem a Neptuno in templo Palladis vitiatam esse narratur.

Sane ea quae exposuimus, non cum opinione eorum congruunt, qui omnes fabulas in quibus templi mentio fit, ad cultum quendam deorum referendas esse putant. Ut O. Mueller [1]) fabellam ab Ovidio relatam ad Argivum quendam cultum pertinere censet. At cum ea quae supra attulimus, tum hoc opponendum est. Non Aethra ipsa, quippe quae insons sit, poenas dat, sed templi cultusque voto Minervae ira placatur. Medusa autem a Neptuno vitiata quamquam ipsa quoque culpa caret, poenas solvit, ne aedes impune violata sit. Hac autem expiatione facta cultus instituendi nulla iam causa erat. Atque haec quidem de locis quibus veteres fabulam collocaverunt.

3. Iam existit quaestio, cuinam regioni quae non sola cogitatione ficta sit, fabula attribuenda videatur.

Nec vero quin ad Graecos redeat, dubium est. Nomina enim Gorgonis, Medusae, Poseidonis Graeca esse consentaneum est. Atque etiam Pegasi nomen, ut infra docebimus, optime e Graeco duci potest. Atque e Graecia eum in Asiam esse translatum supra comprobavimus. Similes praeterea fabulae semel atque iterum allatae nihil praebent, quod a Graeca origine abhorreat. In quibus quae afferuntur nomina ad unum omnia Graeca sunt. Etiam hoc animadvertendum est. Licet a Milchhoefero qui equum in orientis fabulis nullius momenti esse dicit [2]), dissentiendum sit [3]), tamen fa-

---

[1]) Kleine Schriften II p. 171.

[2]) Anfaenge p. 56.

[3]) E. Knoll, Studien p. 21 sq.; Bérard, de l'origine des cultes Arcadiens p. 112 sq.

bula quae ipsi ei quae nobis proposita est, similis sit, illic non invenitur. Contra Indiae et Germaniae fabulas persimiles exstare vidimus (cf. p. 5). Unde conicere licet Graecos eiusmodi fabulas e pristinis domiciliis in Graeciam attulisse. Illic autem Pegasi fabula septentrionalibus Peloponnesi regionibus familiaris fuit. Quo potissimum loco et Persei et Gorgonis et alias de Pegaso fabulas collocandas esse constat. Argivis autem a colonis fabula postea in Asiam translata est.[1] Atque illic Chrysaor adiectus est.

III. De Perseo Pegaso vecto.

Supra ectypon Melium attulimus, in quo Perseus manu sinistra falcem, dextra caput Gorgoneum tenens equo alis carente vehitur, sub quo Medusa capite privata procubuit, cuius e collo Chrysaor modo exit. Equum autem illum, quamquam pinnis caret, tamen Pegasum intellegendum esse ibidem comprobavimus (cf. p. 19 sq.). Perseus igitur celeriter alterum Medusae filium cepisse videtur, quo facilius effugere posset. Perseum autem equo vectum Wieseler etiam Parisiis in situla Muratii se vidisse dicit.[2] Sed utrum recte necne, in medio relinquo. Nam etiam Stephanius, qui in gemma Florentina Perseum Pegaso vectum repraesentatum esse opinatus erat, postea id ipse revocavit.[3] Dumontius quoque Perseum reperiri plus semel equitantem dicit neque tamen aliud opus nisi ectypon Melium affert[4]) aequeat que Knatzius, qui monumenta ad Persei fabulam pertinentia diligenter congessit. Headius autem[5] Pegasum Perseo in Daldensi Gordiani III nummo attributum esse coniecit.[6] Ubi tres Gorgones sub arbore dormiunt, a parte dextra Perseus appropinquat, a sinistra equus stat. Is tamen si Persei esset, iuxta hunc stare debebat. Maxime autem ea de causa coniectura illa improbanda est, quod caedes Medusae nondum facta, sed perpetranda est.

[1]) O. Mueller, Proleg. p. 313; Dorer I² p. 113/14; Tuempel, Fleckeis. Jahrbuech. Suppl. XVI p. 160.

[2]) Arch. Ztg. XVII (1859) p. 120*.

[3]) Compte-Rendu p. 1864 p. 34 n. 1; p. 1881 p. 26.

[4]) Monuments grecs (1878) p. 21 n. 2.

[5]) H. N. p. 549.

[6]) Ed. Mionnet, Suppl. VII tab. XI 1.

Itaque non magis quam Apollinis sacellum ibidem fictum equus cum Perseo atque Gorgonibus cohaeret. Anaglyphum igitur Melium unum certum artis opus est, in quo Perseus equo vectus occurrit.

Atque etiam litterarum unum exstat testimonium quo Perseus Pegaso vehi proditur, O v i d i i versus (Amor. III 12, 24):

victor Abantiades alite fertur equo.

Quem locum ut familiari fabulae concinnum redderent, interpretes vetustiores alterum Abantem statuerunt, qui Bellerophontis pater fuerit. Quam opinionem non probandam esse in promptu est. *Victor* enim *Abantiades* alium ac Perseum significare nequit. Quo nomine Ovidius Perseum etiam Met. V 236 appellat. Atque alibi simpliciter *Abantiadem* eum vocat: Met. IV 607, 673; V 138; Ib. 461. Alii autem interpretes vetustiores eam viam inierunt, ut *fertur* idem atque „tractatur" vel „celebratur" valere opinarentur. Ac verbis *alite fertur equo* Pegasi originem a Perseo confectam significari dicunt. Verum etiam hanc interpretationem derelinquendam esse in aperto est. Neque omnino Persei gloria in ortu Pegasi, facto fortuito, non consilio, posita est.

Quoniam uno Ovidii loco Perseus Pegaso usus esse fertur, eo magis mirum est ipsum hunc nunquam fere testimonii causa allatum esse. Contra alii loci congesti sunt, quibus re vera Persei in Pegaso equitantis mentio non continetur.

Ut Scuti Herculis v. 216 affertur, ubi Perseus ἱππότα appellatur.[1]) Sed Pegasum, qui toto illo carmine non nominatur, poeta certo non significat. Neque enim Perseum Pegaso, sed pennis talaribus aufugientem fecit: ἀμφὶ δὲ ποσσὶν ἔχε πτερόεντα πέδιλα (220); ὁ δ'ὥστε νόημ' ἐποτᾶτο (222). Praeterea ἱππότα equitem communi caballo usum, non Pegaso vectum significaret. Vox sine dubio translata est ex epico carmine Homeri, apud quem non equitis notio ei subiecta est, sed eius qui de curru pugnat

Persei autem Pegaso vecti etiam in iis mentionem fieri

[1]) Duc de Luynes, Ann. dell' Inst. VI (1835) p. 231; Gaedechens in Ersch. et Grub. Lex. s. v. Gorgo p. 413, n. 36; M. Mayer, Verhandlg. der Goerlitzer Philolog.-Versammlg. p. 338.

opinantur quae Suidas s. v. Μέδουσα profert.[1]) Haec tamen primo a Malala traduntur (lib. II p. 36, 21 sq. ed. Bonn.) Qui quidem narrat Perseum Gorgonis capite in Libya absciso atque Andromeda in Aethiopia liberata in Ciliciam venisse: ἐρχόμενος ἐπὶ τὴν Ἰσαυρίαν καὶ Κιλικίαν καὶ ἀντιστάσεις αὐτοῦ πολεμίων ὑπομένοντος ἐχρηματίσθη ταῦτα, ὅτι ἀπὸ τοῦ ἰδίου ἵππου ἀποβὰς τὸν σὸν ταρσὸν τοῦ ποδὸς εἰς τὴν χθόνα πήξας νίκην λάβοις. καὶ κατελθὼν ἐκ τοῦ ἰδίου ἵππου ..... E quo loco quae in Chronicum Paschale (tom. I p. 71,16 sq.), a Cedreno (tom. I p. 40, 18 sq.), Suida aliisque transsumpta sunt, exscribere supersedeo. Neque enim quicquam novi proferunt, quod ullius momenti sit. Quem vero in auctorem ea redeant, quae a Malala accepimus, parum constat. Perseum autem Tarsi conditorem ductum esse multo ante traditur (Antip. Thessal. A. P. IX 557). Commenta praeterea quibus Tarsi nomen cum ταρσῷ coniungitur, iam auctores aetatis Alexandrinae narraverunt. Ubi tamen nomen Tarsi a Bellerophontis vel Pegasi, non a Persei calce ductum esse dicitur.[2]) Quin autem Tarsi nomen cum Bellerophontis fabula prius conexum sit, non dubium est. Nam si prius Perseus, qui urbis conditor fertur, nominis auctor dictus esset, fabula Tarsi a Bellerophontis calce nominatae postea sine dubio non orta esset. Neque enim Bellerophontes unquam urbis illius conditor putabatur. Ac ne iis quidem locis quibus nomen Tarsi ad eiusdem vel Pegasi calcem revocatur, eum urbem constituisse dicitur. A Perseo autem nomen postea repeti potuit, quippe qui conditor urbis ferretur. Conditorem enim potissimum cum urbis nomine conexum putari in promptu est. Ut autem Bellerophontes prius cum Tarso coniungeretur, illa causa fuit, quod iam apud Homerum (Il. VI 200 sq.) campus Tarsensis qui Ἀλήιον πεδίον dicitur[3]), cum Bellerophontis fabula cohaeret. Bellerophontem autem hunc in campum delapsum claudum esse factum Euripides narraverat. Quod manifesto in Perseum translatum est, si apud Cedrenum scriptum est Perseo urbem condendam fuisse, ἔνθα ἐκ τοῦ ἵππου ἀποβὰς τὸν ταρσὸν ὀδυνηθῆς

[1]) Duc de Luynes, Gaedechens, M. Mayer ll. cc.

[2]) His de fabellis infra accuratius dicendum est.

[3]) Hic campus primum apud Herodotum (VI 95) diserte in Cilicia collocatur.

τοῦ ποδός. Atque omnino commentum quo Tarsus cum Persei calce coniungitur, persimilis Bellerophontis fabellae imitatio est. Quod cum ita sit, putaverit quispiam Pegasum in Perseum translatum esse atque cum iis consentiat, qui ἴδιον ἵππον eum intellegunt. Nec vero horum opinio probanda est. Pegasi enim neque in iis quae de Tarso, neque quae de Gorgonis caede paulo ante proferuntur, ulla mentio fit. Nec vero ex ipsa ἵππου voce Pegasum intellegere iure possumus. Immo haec vox adversatur, cum Pegasus non communis equus sit, atque eo magis, quod in hac fabella ad Bellerophontis exemplum ficta Pegasus ipse exspectari potest. Causa vero, cur Perseus e commento illo equo vectus esse dicatur, manifesta est. Perseo enim ibi urbs constituenda est, ubi primum calce terram tetigerit. Ergo non pedibus advenire debet. Hoc enim si fieret, ante locum oraculo definitum multos iam alios calcibus tetigisset.

Iam alius locus quo quis Perseum Pegaso vectum significari putaverit, quoddam Iuvenalis scholion est. Quo a poeta Egnatius dicitur (III 117/18):

ripa nutritus in illa,
ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.

Quos versus fabulam illam spectare, qua Tarsi nomen ad Bellerophontem relatum est, nunc inter omnes constat. Scholiasta autem parum dilucide ad hunc locum dicit: *apud Tarson propter Perseum et Pegasum, quod de sanguine Medusae natus sit Pegasus.* Quibus verbis Perseum Tarsi cum Pegaso conexum significari fortasse quispiam dixerit. Hoc tamen si ita esset, non alia potius fabella proferretur, quae ut Tarsi nomen explicat, ita ad illos versus minime quadrat. Hoc enim ad explicandum Iuvenalis locum dicitur: *cuius* (scil. Tarsi) *urbis est conditor Perseus, qui nomen civitati ex facto dedit, quia ibi una ex talaribus pennis ei excidit.*[1]) Hoc autem modo verba illa intellegenda mihi videntur. Ut Iuvenalis verba ipsius ad Persei fabulam referrentur, vox *Gorgonei* sine dubio causa fuit. Neque tamen fabula exstabat, quae cum Iuvenalis verbis conveniret. Quare ad verba quae

[1]) Ταρσός etiam pinnam significat.

parum perspicua videbantur, pariter verba minime dilucida afferebantur.

Atque etiam nummi Tarsenses obstant, ne quis Perseum Pegaso vectum fuisse putet. Nam ne in uno quidem Perseus equitat, sed in omnibus est pinnis talaribus ornatus.[1]) Neque multis Ponti nummis, quorum altera in parte Perseus, regum Ponticorum proavus, altera Pegasus conspicitur,[2]) ullum Persei Pegaso vecti documentum contineri apparet.

Quae cum ita sint, anaglyphum Melium et Ovidii locus restant. Quae ne vetustissimae fabulae indicia iudicentur, omnia illa argumenta repugnant, quibus Perseum primo cum Pegasi origine omnino non conexum fuisse planum fecimus (cf. p. 23 sq.).

Qui autem Perseus cum Pegaso coniunctus est?

Fabulam non in confusione Persei et Bellerophontis positam esse certum est. Sane quidem apud Myth. Vat. I 71 legimus: *Bellerophontes, qui et Perseus*, et ibidem 157, *Perseo mandatum esse, ut Chimaeram et Gorgonem et Medusam* (sic!) *interficeret.* Sed tamen Perseum ectypi Melii a Bellerophonte alterius anaglyphi non seiungendi differre perspicuum est.[3]) Atque ne Ovidium quidem confusione peccasse documento est, quod etiam alibi Perseum *victorem Abantiadem* vel *Abantiadem* appellat (cf. p. 36). Ovidii tamen e loco Mythographi Vaticani confusio derivanda videtur. Ovidius enim Perseum Pegaso vectum esse dicit, e vulgari fabula Bellerophontes eo usus est. Quae causa fuisse videtur, ut iidem putarentur atque Perseus etiam contra Chimaeram mitteretur.

Sed fabula qua Perseus Pegaso usus esse dicitur, etsi non ex illa confusione, tamen e Bellerophontis fabula nata esse videtur. Quoniam enim Perseus Gorgonis caede utique cum Pegaso coniunctus erat atque postea per aera aufugiebat, non multum aberat, ut alatus Gorgonis filius ipse ei ad

---

[1]) Imhoof-Blumer, coin types of some Kilikian cities, Journal of hell. studies XVIII (1898) p. 171 sq.

[2] Head, H. N. p. 424 sq.

[3]) Fischer, Bellerophon (1851) p. 68 sq nescio quo modo opinatur etiam eum qui altero in anaglypho contra Chimaeram pugnat, Perseum esse. Quod Engelmannus, Ann. dell' Inst. XLVI (1874) p. 18 et Stephanius, Compte-Rendu (1881) p. 36 iure repulerunt.

fugam tribueretur[1]). Quae quidem translatio ab artifice facta esse mihi videtur. Ipso enim in artis monumento facillime fieri poterat, si Perseus et Bellerophontes, utrique cum Pegaso conexi, ita exprimebantur, ut alter alteri responderet. Ut enim inter se congruerent, necesse erat etiam Perseum altiore loco positum esse. Qua de causa artifex et ipsum Pegaso vehentem fecerit. Ita Perseum Melii illius anaglyphi explicandum esse iam Lewezowius optime intellexisse mihi videtur (cf. p. 20). Atque Loeschckius quidem opinatus est ambo illa ectypa Melia ad idem exemplar redire atque anaglypha a Thrasymede in solio Aesculapii Epidaurii facta (cf. p. 20). Quod si ita est, Perseus Pegaso vectus Melia ectypa aetate antecessit. Quae res etiam per se probabilis est. Neque enim vereor, ne quis inventum illud artifici anaglyphorum Meliorum ipsi ascribat.

Ovidii locum cum ectypo Melio non directe cohaerere facile intellegeretur, etiamsi Pegasus in illo artis opere alis non careret. Et si Amorum testimonium per se consideres, Ovidius ipse Perseum Pegaso vectum fecisse videri possit. Fabulam enim Persei praeter plures alias brevissime perstringit, ut licentiam poetarum exemplis illustret. Qua in re eum nova atque inaudita non proferre in aperto est. Immo certis quibusdam fabulis exemplis uti solet[2]). Et quia Persea Pegaso vectum facit, quamquam et Bellerophontes Pegaso et Perseus laciniis plumatis usi erant notissimi, confusio illa Ovidio ipsi tribui possit. Attamen altera ex parte animadvertendum est fabulam talarium Persei pinnarum Ovidium minime ignorare. Ipsa enim e fabulis est, quibus illustrandi causa uti solet. Ut Amor. III 6, 13/14 et Trist. III 8, 5/6 lacinias Persei plumatas affert. Praeterea in versu antecedenti (Amor. III 12, 23) generalem de alis pedum mentionem fecit: *nos pedibus pinnas dedimus.* Quales etiam Perseo tribui solitas esse constabat. Quas res contaminationem illam impedituras fuisse in aperto est. Quare si Ovidius

---

[1]) Aristides Perseum et Bellerophontem ut eos componit, quibus solis Iuppiter in aeris regionem intrare permiserit, εἰς Ποσειδῶνα 13 K.

[2]) Lueneburg, De Ovidio sui imitatore (1888) p. 50 sq.; cf. Ehwald Burs. Jahresb. (1894) II p. 13 sq.

nihilominus Perseum Pegaso vectum facit, non ipse hoc finxit, sed aliunde sumpsit.

Atque hic in recentioris aetatis quaedam litterarum et artis monumenta excurrere liceat, in quibus Perseus pariter Pegaso vehitur. Quorum ad originem eruendam unum Ovidii testimonium pertinere in aperto est. Quem strictim fabulam attingere, cum omnino Perseum Pegasi equitem nominet, iam antea diximus. Neque enim quanam in occasione Pegaso et potitus et usus sit, cognoscimus. Vagis autem ex Ovidii verbis explicari mihi videtur Pegasum Perseo ad omnia facinora tributum esse.

Quin etiam ipsam ante Medusae caedem eum possedisse fertur. Quod primus Boccatius proferre videtur, cum de Perseo ad Gorgones profecturo dicat: *habuitque Pegasum alatum* (de genealogia deorum XI 25) et: *sic et Perseum* (scil. Pegasum tulisse), *dum ad Gorgonas ivit* (ibid. X 27). Quamquam his cum locis non ita bene convenit, quod paulo ante Pegasum de sanguine Gorgonis a Perseo caesae natum esse dixit. Ad Boccatium autem recentissimi auctores redire videntur: Georges, qui dicit Perseum Pegaso usum per aera in Gorgonum regnum pervenisse et praepetem nominatum esse, quod plumis talaribus instructus simulque Pegaso alato vectus fuerit[1], et H. Wolf, qui Perseum Pegaso insidentem ad Gorgones profectum esse dicit.[2]

Atque idem in fabula illa factum esse videtur, quam colona agrestis loci Etrusci qui Pratovecchio nominatur, edidisse dicitur.[3] Quam breviter narrare haud inutile esse videtur.

Ac rex liberis carens precibus factis filiam impetrat, quod si filium genuisset, ipsius exitio futurum erat. Quod cum ita esset, pater filiam nutrici tradidit, ut in turri quadam custodiret. Hac tamen pretio corrupta filius regis cuiusdam secreto filiae illi se iunxit. Atque filium ea peperit, qui XV anno peracto avum visitavit. A quo missus est, ut caput

[1]) Ausfuehrl. lat.-deutsch. Handwoerterb. s. v. *Perseus* et s. v. *praepes*.

[2]) Progr. d. Gymn. zu Duesseldorf (1896) p. 36.

[3]) Pitrè, Novelle populari Toscane (1885), quem sequitur Hartland, The Legends of Perseus (1894) I p. 11 sq.

strigae terribilis abscideret, quae aspicientem quemque in saxum transfigurabat. In itinere autem seni obviam factus iuvenis equum alatum nanciscitur et monetur, ut ad domum quandam se conferat, ubi duae feminae oculo communi usae habitabant. Ab iis enim speculum accepturus erat, quo reflexum strigae caput impune adspicere posset. Iam equo alite ad feminas illas vectus est. Quarum oculum surreptum ea condicione reddidit, ut speculum sibi obtingeret. Quo accepto ad ipsam strigam profectus est. Cuius capite potitus domum rediit. Atque in itinere virginem a dracone septem capitibus instructo liberavit, cum capite strigae obtento in saxum converteret. Linguas autem draconis exsectas[1]) secum auferens iter pergit, ut terrarum orbem cognoscat. Sutor autem veteramentarius occasione usus virgini liberatae mortem denuntiat, nisi ipsum draconis victorem perhibeat ac sibi nubere velit. Quibus de rebus certior factus iuvenis ille redit et septem draconis linguis verus liberator cognitus virginem in matrimonium ducit. Domum autem postea reversus avum capite strigae obtento in saxum vertit.

Iam vero Hartlandus de tenacitate fabularum vulgarium admonens narrationem illam per plus duo milia annorum conservatam ad priscam antiquitatem redire opinatur. At ipsum illud, quod haec narratio non e Graecia, sed ex Etruria prodita cum vetere Persei fabula mirum quantum concinit, eius sententiae repugnat. Qualis consensus in neograeca fabula inventus facilius intellegeretur. Verum tamen ipsa in illa fabula neograeca quam Hartlandus comparat,[2]) neque de capite strigae afferendo nec de equo alato ulla mentio fit. Maxime autem ei illud contrarium est, quod in fabula illa iuvenis equum alitem, quo sine dubio Pegasi ratio habetur, iam ante strigae caedem possidet. Nam hoc ipsum ab antiquitatis fabula prorsus abhorret. Quare non dubium est, quin ut aliae ita illa narratio orta sit e veterum fabula aetate recenti renata. Quod ipsum ad Boccatium vel similem auctorem revocandum esse videtur.

---

[1]) Hoc cum dracone antea in saxum converso minime convenire vides.

[2]) J. G. v. Hahn, Griech. und Alban. Maerch. (1864) II p. 114, p. 310.

Caede autem facta Perseus Pegaso insidens effugisse dicitur. Ut Schmieder dicit: *Behend fasst er das Haupt, schwingt sich aufs Ross und wendet es zum Rueckzug etc.*[1]) Atque in imagine ad Ovid. Met. IV 655 sq. facta Perseus a Gorgonibus rediens Pegaso vehitur.[2]) Quod sane cum Ovidii verbis minime concinit.

Quodsi Pegasus perpetuus Persei socius putatur, sane etiam in draconis caede exspectatur, cuius in potestate Andromeda fuisse fertur. Quod quidem in crebris antiquitatis testimoniis quae ad Andromedae fabulam pertinent, nusquam occurrit.

Verum in monumentis recentibus plus semel invenitur. Ut in una e celeberrimis picturis parietariis palatii Farnesiani Perseus Pegaso vectus ad Andromedam liberandam appropinquat. Quod opus non ab Hannibale Carraccio sed a Domenichino maximam certe partem factum esse iudicatur. Etiam in tabula musei Casseliani ab Alexandro Turchio picta Perseus Pegaso vectus ad Andromedam per aera advenit[3]). Atque in libello magistro cuidam memoriae causa dedicato musei Vratislaviensis, quod Kunstgewerbemuseum nominatur, pictura linearis exstat anno p. Chr. n. 1654 facta, quae Perseum iamiam e Pegaso cum dracone pugnantem repraesentat. Denique anaglyphum ab O. Lessingio fictum afferatur, quo Berolini puteus Viae Latae ornatus est. In quo Pegasus alis distentis iuxta Andromedam in saxo sedentem stat; in antica autem parte Perseus pedibus cum dracone pugnat. Quod sine dubio spatii angustiis adductum est.[4])

Sed etiam apud scriptores recentiores Perseus Pegasi ope Andromedam liberans occurrit. Ut Schoemannus in interpretatione loci cuiusdam Iuvenalis Perseum Pegaso vectum ad Andromedam liberandam Ioppen pervenisse dicit.[5]) Quamquam ne uno quidem e locis ab eo enumeratis reperitur. Schoemannum autem vel Ludov. Friedlaender secutus est.

---

[1]) Mythologie der Griech. und Roem.[2] (1825) p. 260 sq.

[2]) Die Verwandlungen des Ovidii in 226 Kupffern, in Verlegung Johann Ulrich Krauss, Kupfferstechern in Augspurg († 1719) n. 60.

[3]) Cf. O. Eisenmann, Catal. nr. 505, p. 319.

[4]) Ed. in „Ueber Land und Meer“ XL (1898) p. 798.

[5]) Opusc. III p. 272.

Iam vero quod ad „sensum", ut ita dicamus, fabularum attinet, quae ad Pegasi ortum pertinent, primum proferatur, quod ex iis quae eruimus, negandum esse videtur.

Atque et Chrysaorem et Perseum postea additos esse comprobavimus. Quare opiniones eorum qui in explicando vel a Perseo orsi sunt vel a Chrysaore, cuius nomen dilucidum ac perspicuum esse videbatur, explodendae sunt.

Pristinam autem fabulae formam eam cognovimus, ut Neptunus et Medusa equorum specie induti Pegasum gignerent. Cui fabulae alias complures persimiles esse vidimus. Quibus in omnibus nihil nisi liberorum singulorum ortus profertur. Nihil igitur nisi de fabulis genealogicis atque vetustissimis agi apparet. Nec mirum est etiam ferinum Pegasum genealogiae conexui inseri. Iam enim vidimus fabulam ad illa tempora redire, quibus ipsi dei summi beluarum specie induti credebantur, cum bestia homini par vel etiam superior putaretur. Quare facile intellegitur figuram ferinam simili conexui atque homines adiungi. Quoniam autem genealogia prima de Pegaso fabula contineri non potest, apparet pristinam eius naturam alibi quaerendam esse.

Postquam de fabulis dixi quae ad originem Pegasi pertinent, nunc Pegasi et Bellerophontis arta coniunctio tractetur.

Reliqua propediem edentur in Breslauer philologische Abhandlungen vol. VIII fasc. IV.

Vita.

Natus sum Franz Hannig a. d. XVI Kal. April. anno prioris saeculi LXXIII in vico Silesio, cui nomen Buergerbezirk est. Parentes iam pridem morte abrepti sunt. Fidei adscriptus sum catholicae.

Litterarum elementis imbutus adii gymnasium Patschaviense. Ubi maturitatis testimonium adeptus vere anni XCIV Virceburgum me contuli, ut theologiae studerem. Consilio autem paullo post mutato Monachii, Berolini, Vratislaviae moratus sum, ut studiis philologicis operam darem.

Docuerunt me viri clarissimi: Erhard, Schell, Stoelzle, Virceburgenses; Carrière, Christ, Furtwaengler, Golther, Krumbacher, Kuhn, Lipps, Iw. Mueller, Paul, Woelfflin, Monacenses; Doering, Geiger, Hirschfeld, Kirchhoff, Kuebler, Lasson, E. Schmidt, J. Schmidt, Wagner, Berolinenses; Appel, Baeumker, Bobertag, Foerster, Freudenthal, Jiriczek, Koch, Kroll, Marx, C. F. W. Mueller, Norden, Pillet, Rossbach, Skutsch, Vogt, Zacher.

Seminariorum philologicorum ut sodalis essem Christ, Iw. Mueller, Woelfflin, Foerster, Marx, Rossbach, Skutsch concesserunt. Praeterea ad exercitationes archaeologicas me admiserunt Foerster et Rossbach; ad historicas Wilcken, ad germanicas Vogt, ad philosophicas Baeumker et Freudenthal.

Quibus viris omnibus gratiam habeo maximam, in primis autem Foerstero, qui huic opusculo componendo operam curamque impendere non desiit.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Plutarch. mulier. virtut. 248 D (= Nymphis ἐν τῷ τετάρτῳ περὶ Ἡρακλείας) non fabula sed fabulae explicatio est.
2. Hygin. fab. 151: *ex Medusa Gorgonis filia* vertendi errore e graeco ἐκ Μεδούσης (τῆς) Γοργόνος ortum est.
3. Onestae epigrammata in basibus Musarum Heliconiarum inscripta (Inscript. Graec. Septentr. vol. I 1796—1805) primo a. Chr. n saeculo attribuenda sunt.
4. Hom. Il. V 741 et Il. XI 36/37 interpolationes non putandae sunt.
5. Pars anterior anguis, quae in Aeginetico musei archaeologici Vratislaviensis vasculo, in quo Hercules cum hydra pugnat, supra Iolai quadrigam picta est, fabulam significat, secundum quam capitum abscisorum loco alia enascebantur. (ed. O. Rossbach, Griech. Antiken des Arch. Museums in Breslau 1889 p. 5.)

Druck von Max Schmersow vorm. Zahn & Baendel, Kirchhain N.-L.

QVOMODO PERSEI FABVLAM ARTIFICES GRAECI ET ROMANI TRACTAVERINT

DISSERTATIO ARCHAEOLOGA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XVIII MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXXXII HORA XII PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

FRIDERICVS KNATZ
HASSVS

ADVERSARII ERVNT

LVDOVICVS ZIEHEN
MATTHIAS MEINHOLD
IOHANNES DRAGENDORFF

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.
MDCCCLXXXXIII

FRANCISCO BVECHELER

GEORGIO LOESCHCKE

HERMANNO VSENER

Monumenta ad Persei fabulam pertinentia primus quantum scio collegit C. O. Mueller, Handbuch der Archaeologie der Kunst, qui de Danae egit § 351, 4, de Perseo § 414, 3. Post hunc vastum et incompositum monumentorum acervum congessit Birch in annalium anglicorum qui inscribuntur 'Archaeologia' vol. 36 p. 53 ss. De vasis in quibus Perseus Medusae interfector pictus est solita diligentia O. Jahn egit in Philologi vol. 27 (a. 1868) p. 1 ss. Andromedam liberatam seorsum tractarunt C. F. Hermann 'Perseus und Andromeda' Gottingae a. 1851, Raoul-Rochette operis magnifice ornati quod inscribitur 'Choix de peintures de Pompéi' fasciculo extremo a. 1857 edito p. 301 ss., Fedde dissertatione de Perseo et Andromeda Berolini a. 1860 edita p. 39 ss. Vasa picta ad Andromedam pertinentia denuo collegit A. Trendelenburg Ann. dell' Inst. 1872 p. 108 ss., anaglypha fictilia Heydemann 7. Hall. Winckelmannsprogr. (1882) p. 9 ss. De Danaes simulacris Overbeck egit Kunstmythologie des Zeus 1871 p. 406 ss., cuius collectionem paullo auxit Schwarz dissertatione de fabula Danaeia scripta Halis 1881.

Qui viri docti quamquam optime quaecunque invenire potuerunt monumenta collegerunt, tamen pleraeque collectionum illarum hodie augendae sunt, cum unusquisque annus novas antiquitatis reliquias producat. Praeterea deest omnium monumentorum e quibus quomodo Persei fabulam artifices veteres tractaverint cognoscere possis collectio. Talem operam subii nixus virorum illorum doctorum operibus.

Sed cum maiore volumine opus esset ad omnia monumenta accurate describenda ac tractanda, satis habui, quid in quoque monumento spectandum esset, paucis verbis adumbrare; ceterum ad editiones et descriptiones optimas relegavi. In altera opusculi parte de eorum monumentorum quae maioris momenti viderentur esse temporibus arte artificibus egi.

Disposui monumenta secundum fabulae cursum qualem constituerunt mythographi antiqui; unum mutavi, quod Poly-

dectem punitum anteposui Andromedae liberatae, et quia ii qui Polydectis fabulam tractarunt artifices Andromedam ignorasse videntur, et ut per se starent omnia quae ad Andromedam pertinent monumenta. Intra singulas scaenas monumentorum genera distinxi, ita autem, ut diversi generis monumenta quae ad unum exemplar revocanda essent, componerem.

Notis ad indicandos librorum titulos usus sum his:

A. d. I. = Annali dell' Instituto arch. germ.
B. d. I. = Bulletino „ „ „ „
M. d. I. = Monumenti „ „ „
A. J. = Jahrbuch des Kais. deutschen archaeologischen Instituts.
A. Z. = Archaeologische Zeitung.
B. a. B. = Friederichs, Berlins antike Bildwerke, Duesseldorf 1868—71.
H (vasculo addita) = Heydemann, die Vasensammlungen des Museo nazionale zu Neapel, Berlin 1872.
H (picturae addita) = Helbig, Wandgemaelde der verschuetteten Staedte Campaniens, Leipzig 1868.
S „ „ = Sogliano, le pitture murali campane scoperti negli anni 1867—79. Napoli 1879.

Vascula Berolinensia secundum Furtwaengleri, Londinensia secundum Newtonis, Petropolitana secundum Stephanii catalogos citavi.

I.

A. Danae Iovem in aurum conversum excipit.

Monumenta quae ex litteris novimus.

a. Niciae pictoris Danae cf. Plin. 35, 131.

b. Danaes nudae in lecto accubantis imago descripta a Terentio Eun. III 5, 35.

Monumenta servata.

Vasa picta fig. rub.

1. Cratera Caeretana mus. Petropol. n. 1723, ed. Gerhard, Danae, Berlin. Winckelmannsprogr. 1854. Welcker A. D. V. tab. 16, 17. Overbeck, Kunstmythologie d. Zeus, Atlas tab. VI 2, alibi.

Danae (ΔΑΝΑΕ) plene vestita ad d. in lecto sedens imbrem aureum qui fuscis guttis delabitur suspicit.)(Pictura infra s. B 1 describenda.

2. Guttus mus. Luporensis, cf. Overbeck, Kunstmyth. d. Zeus p. 407, 2.

Danae sedens sursum spectat, imbris aurei vestigia non iam agnoscuntur.

3. Lecythus multicolor Cyrenaica mus. Brit. n. C. 38.

Danae pectore nudo ad d. sedens imbrem pallio passo excipit, ante eam Amor ad. d. volat, s. serva perterrita recedit.

Picturae Pompeianae.

4. H. 115, ed. Mus. Borb. II 36. Zahn, d. schoensten Ornamente etc. I 68.

Danae ad d. sedet manu s. vestimentum tollens; imber aureus e nubibus in eius gremium stillat.

5. H. 116, ed. Mus. Borb. XI 21. Mueller-Wieseler D. a. K. II 3, 48 b. Overbeck l. c. Atlas tab. VII 1.

Danae stans nuda, nisi quod vestis fulva ab umero s. pendens tergum et femora tegit, oculos ad s. sursum convertit, unde Amor aurum ex amphora effundit. D. fulminum fascis saxo acclinatus est.

6. S. 75, ed. Overbeck l. c. Atlas tab. VII 2.

D. Danae stat superiore corpore nudo columnae innixa; aurum Amor cornu effundit. S. Juppiter (imberbis?) sedet manu d. sceptrum tenens.

7. cf. Mau B. d. I. 1885 p. 162 s.

D. Danae nuda in veste sedet, quam ambabus manibus tollit ad excipiendum imbrem aureum, qui guttis foliorum forma defluit. S. Juppiter imberbis manibus sceptro innixus sedet[1].

Opus vermiculatum.

8. Pavimenti a. 1869 Panormi inventi lacunar quintum, cf. A. Z. 1869 p. 39.

---

[1] Danaes figura ante oculos versata esse videtur pictoribus imaginum H. 117, 117b, 118. De pictura domus Holconii. 'qua fortasse repraesentatur Danae', cf. Overbeck, Pompei[4] p. 266, nihil potui invenire.

Danae nuda in lecto accubat, inferior corporis pars deest. Aurum lineae fulvae instar delabitur.

Gemma.

9. Amethystus olim a libero barone de Gleichen possessus ed. Overbeck l. c. Gemmentafel V 4.

Danae nuda, nisi quod crura vestimento velantur, ad d. subsidet manibus sublatis guttas rotundas excipiens [1].

Nummus.

10. N. Argivus Hadriani mus. Brit. ed. Gardner, numism. comm. to Paus. tab. GG XXIII.

Danae in sella ad s. sedet manibus vestimentum pandens; sinus videtur nudus esse.

B. Danae ab Acrisio patre arcae imponitur.

Vasa picta fig. rub.

1. Craterae A 1 pars altera.

In arca Danae ad d. stat Perseum nudum brachio tenens; a. s. faber lignarius super arcam se inclinans terebra [2] ei operam dat. D. Acrisius stat manum d. protendens, s. scipionem tenens [3].

2. Cratera Caeretana mus. Petropol. n. 1357. ed. Welcker, Ann. Mon. Inst. 1856 tab. 8, A. D. V. tab. 17, 2, Overbeck l. c. Atlas tab. VI 4.

Mediam picturam arca tenet, cui a s. operculum affigit iuvenis. S. Acrisius stat manum s. tollens; a d. mulier (Eurydice nimirum) accedit manibus protentis, quam sequitur Danae manum d. tollens, s. Perseum infantem portans, qui et ipse utrumque brachium protendit.

---

[1] De reliquis quae ad Danaen referuntur gemmis cf. Overbeck l. c. p. 409.

[2] Ita appellandum esse illud instrumentum Heydemann docuit A. Z. 1872 p. 37.

[3] Nominis Acrisii quod adscriptum videmus in delineationibus, ne vestigium quidem adesse Stephani confirmat.

C. Danae ad Seriphi oram appulsa.

Monumenta quae ex litteris novimus.

a. Praxiteles sculpsisse dicitur secundum epigrammata Anth. Gr. III 91, 4 (Palat. VI 317) et IV 186, 315 (Planud. IV 262), Danaen nymphas Pana. Possis cogitare de Danae a Nereidibus (cf. Luc. dial. mar. 12) ad Seriphi oram appulsa. Tunc Pan aderat ad terram indicandam.

b. Artemo pinxit 'Danaen mirantibus eam praedonibus' Plin. 35, 139.

Monumenta servata.

Vasa picta fig. rub.

1. Scyphus Nolanus mus. Neapol. n. 3140 H. ed. Mus. Borb. II 30, 4.

Ex arca aperta prominent Danae manu d. ad s. monstrans et Perseus puer manum tollens. D. arbor adumbrata est. Cum Danae et Perseus hic inter se colloquantur nec rationem habeant aliorum hominum, necesse est Danaen servatam, non includendam pictam esse.

2. Vasis fragmentum collectionis Hamiltonianae delineatum neque vero editum a Tischbeinio cf. Heydemann, A. J. I p. 312 n. 82. ed. Dubois-Maisonneuve, introd. XVI 3.

In arca aperta Danae et puer ad s. stant, eis adversus erat homo innixus sceptro, cuius vestigia restant. Hanc quoque picturam, cum desit gestus imprecandi et cum Perseus non iam portetur a Danae, Seriphi quam Argis collocare malim. Vir deinde appellandus est Polydectes sive Dictys.

Picturae Pompeianae.

Quae sequuntur sex picturae inter se sunt simillimae: s. sub rupe pendente Danae sedet Perseum infantem gremio tenens, ab altera parte piscatores stant, quorum numerus variatur; inter hos et Danaen arca conspicitur.

3. S. 76.

Danaes facies dolorem exprimit. Piscatorum primus ante arcam stat habitu rustico, manu d. canistrum tenens, s. rem non iam agnoscendam; alter inter hunc et Danaen stat caput ad

s. convertens. Tertius d. sedet corpore superiore ad s. conversus. Post arcam quartus agnosci videtur.

4. H. 119, ed. R.-Rochette, choix tab. XIV, Guidobaldi, su tre dipinti pomp. Napoli 1861, Overbeck l. c. Atlas tab. VII 3.

Danaes vultus nullum exprimit animi motum; duo tantum adsunt piscatores, alter remum, alter harundinem gerens.

5. H. 120.

Eadem fere pictura.

6. S. 77.

Eadem fere pictura.

7. S. 78.

Danae prioribus similis et arca. Unus tantum adest piscator; alterum a sin. Danaes parte subsidentem conspicere sibi visus est Engelmann, Luetzows Zeitschr. VII p. 253.

8. H. 121.

Danae maesta cum Perseo et arca; piscatores desunt.

D. Perseus Graeas decipit.

Vas pictum fig. rub.

1. Pyxis attica mus. archaeol. Athen. ed. Gaedechens, Perseus bei den Nymphen. Jenae 1879. Boehlau, Mitt. d. ath. Inst. 1886 tab. X.

Pictura operculi ansam circumdat. Tres Graeae, quarum dextera mediae offert oculum; inter utramque subsidens Perseus caligis alatis insignis oculum intercipere conatur. A s. Minerva accurrit, senex Phorcys d. capite demisso sedet, intra hunc et Minervam Mercurius cum Neptuno colloquitur. Locus indicatur tribus piscibus.

Speculum.

2. Sp. Praenestinum ed. M. d. I. IX tab. 56, 2. Gerhard (Koerte-Kluegmann) E. S. V 66.

Perseus (Pherse) cum galea alata et caligis alatis brachio s. cibisin, manu falcem portans a d. prorepit ad Graeam sedentem (Enie); d. manum protendit ad intercipiendam rem, quam illa alteri Graeae (Pemphretu) offert. Perseum sequitur Minerva (Menrfa).

E. Perseus a nymphis instrumenta accipit.

Monumentum quod ex litteris novimus.

In Minervae Chalcioeci templo Spartano Gitiades caelaverat (duas ut videtur) nymphas Perseo galeam et crepidas offerentes. Paus. III 17, 3.

Monumenta servata.

1. Amphora chalcidica fig. nig. mus. Brit. n. 584. ed. Gerhard, A. V. 323, 2. cf. Kirchhoff, Studien z. Gesch. d. griech. Alph. p. 110.

Perseus (ϟYƎϟЯƎΠ) iuvenis ad s. graditur gladio armatus; ei obviam veniunt tres nymphae (NEIDEϟ) prima crepidas alatas, secunda petasum, tertia cibisin ferentes. Perseum sequitur Minerva (⟨ƎIA⟩NƎ⊕A) attributis carens.

2. Cratera fig. rub. a pictore barbaro indiligenter picta mus. Brit. n. 1686.

Perseus barbatus cyrbasia hasta clipeo argolico (cuius signum est Gorgoneum) armatus intra duas nymphas stat, quarum altera harpen et crepidas alatas, altera pateram ei offert. Militem igitur valedicentem a pictoribus atticis tam saepe pictum Italus noster in Perseum convertit.

F. Perseus a Minerva harpen accipit.

Vas pictum fig. rub.

Situla Lucana mus. Brit. n. 1513 ed. Inghirami vas. fitt. 366, Gargiulo, raccolta 122.

Minerva harpen offert Perseo in saxo sedenti vestito chlamyde pileo phrygio alato caligis alatis.

G. Perseus alas sibi affigit.

Scarabaeus etruscus recentior.

Ed. Lanzi saggi di ling. etr. II 4, 5. Millin G. M. 95, 386.

H. Perseus Medusae dormienti obrepit.

Vasa picta.

1. Cratera fig. rub. musei archaeol. Matritensis n. 11,000[1], ed. Museo español de Antiguedades I tab. 22. cf. Huebner, ant. Bildw. v. Madrid n. 391.

In anteriore picturae parte magnum Medusae corpus a sin. ad dex. extenditur ita ut totam picturae latitudinem expleat atque ceterarum figurarum pedes tegat. Corpus superius saxo fulcitur. Medusa alata est magnis alis umeralibus, vestita tunica brevi; facies antiquam praebet formam; oculi clausi sunt, lingua exserta est, angues desunt. S. Mercurius stat barbatus petaso tectus, manu d. latus fulciens, s. caduceum gestans. D. Minerva stat manum d. tollens, s. hastam umero acclinans, praeter hanc nulla re insignis. Inter utrumque Perseus a d. prosilit, genu s. inflexo, d. ut videtur directo, capite reflexo, vestitus tunica pileo alato, brachio s. extento cibisin, manu d. falcem gerens.

2. Pyxis attica alba mus. Lupor. ed. Dumont, mon. publ. pour l'encouragement des ét. gr. 1878 tab. 2 (= D. — Chaplain, cér. de la Gr. pr. pl. suppl. A).

Medusa in rupibus ante arborem iacet capite ad d. converso alis magnis facie barbara. A s. Perseus rupes ascendit petaso alato[2] caligis alatis insignis; media figurae pars deleta est. Caput reflectit versus Mercurium et Minervam qui post eum stant. Tertius sequitur Neptunus tridenti innixus. D. Gorgo sorori similis sedere videtur, quamquam sedes non adumbrata est.

3. Cylix fig. rub. collectionis Northamptonianae cf. A. Z. 1846 p. 342, 9.

Perseus Medusam aggreditur pulchram quae capite averso in saxo quiescit.

---

[1] Huebner vas nostrum vidit in museo bibliothecae. De loco quo nunc asservatur certiorem me fecit O. Cuntz amicissimus, cui etiam delineationem vasis debeo.

[2] Post petasum Dumont vidit lineas fulvas, quibus indicari videtur νυκτὸς ζόφος αἰνός Plutonis galeae.

Speculum etruscum.

4. Ed. Gerhard-Koerte E. Sp. V 67.

D. Medusa (Metus) pulchra in saxo dormit, quam Perseus (Pherse) capite reflexo progrediens falce petit. S. Minerva (Menrfa) sedet.

Scarabaeus etruscus antiquior.

5. Ed. M. d. I. VI 24, 3 cf. A. d. I. 1858 p. 386.

Perseus alis pedalibus et harpe armatus a d. accedit capite reflexo. S. Medusa sedet dormiens capillis incomptis tunica longa.

Nummus.

6. N. Daldianus Gordiani III, ed. Mionnet descr. suppl. VII tab. XI 1, v. Sallet, Zeitschr. f. Num. V p. 105. cf. Head, hist. numm. p. 549.

Infra arborem tres dormiunt virgines; ad primam a d. Perseus nudus accedit, qui quid gesserit non iam agnoscitur. Supra virgines genius alatus (Head: Hypnus) prominet. Quae praeterea sculpta sunt sacellum Apollinis et equus nihil habent commune cum scaena nostra[1].

I. Perseus Medusam caedit.

Monumenta quae ex litteris novimus.

a. A Bathycle Magnete in solio Amyclaeo Περσέως τε τὸ ἔργον πεποίηται τὸ ἐς Μέδουσαν. Paus. III 18, 11.

b. Paus. II 27, 2. In solio Asclepii Epidaurii a Thrasymede sculptus erat Περσεὺς ἀφελὼν τὴν Μεδούσης κεφαλήν.

c. Luc. de domo 25 describit picturam, in qua Perseus Medusam caedit, capite reflexo Minervae scutum protentum aspiciens.

d. Aphthonius Progymn. p. 107 W (48 Sp.) narrat se in arcis Alexandrinae porticu ficta vidisse τὰ Περσέως ἀθλήματα.

Monumenta servata

α) Artis archaicae monumenta.

Perseus plerumque imberbis Medusam currentem manu s. comprehendit, d. cultrum sive gladium collo eius admovet.

[1] Cum hac scaena conferendum est etiam vas K. 23.

Anaglypha.

1. Metopa templi Selinuntii C. ed. Benndorf, Metopen v. Selinunt tab. I alibi.

Medusa moriens Pegasum modo natum brachio sin. tenet. Iuxta Perseum Minerva stat attributis carens.

2. Tripodis aenei emblema, ed. Gori, mus. etr. tab. 145, Levetzow, Gorgonenideal tab. III 34.

Medusa vestita est tunica longa quam artis ionicae propriam esse docuit Furtwaengler apud Roscherum M. L. p. 1710.

Vasa picta fig. nig.

3. Trulla ab Amasi facta mus. Brit. n. 641 ed. Benndorf, Vorlegeblaetter 1889 tab. IV 1.

Adest Mercurius.

4. Amphora mus. Lupor. cf. Catal. Camp. S. IV—VII 125. Six, de Gorgone p. 12.

Persei gladius hic primum est leniter curvatus.

5. Fragmentum paterae Tarquiniis repertum mus. Bonnensis, ed. A. Z. 1881 tab. V 2.

Servata sunt Medusae caput, Persei umerus s. et brachium d. cultrum tenens.

Longius distat a reliquis:

6. Trulla etrusca ex argilla nigra facta anaglyphis ornata (vaso di bucchero) ed. Micali, storia etc. tab. XXII alibi.

Perseus barbatus est; eius manum dirigit Minerva post eum stans; praeterea adsunt miles plene armatus et duae figurae currentes, altera humano, altera felino capite praeditae.

Singulae figurae vasi impressae sunt singulis formis, Minerva et Perseus una forma continebantur.

β) Artis recentioris monumenta.

Quae sequuntur monumenta II 7—II 13 ad unum exemplar redeunt. Medusa pulchra pectore nudo ad genu s. procubuit; Perseus iuvenis chlamyde volante capite reflexo a s. aggressus manu s. illius crines comprehendit, d. harpen collo admovet.

Vasa picta fig. rub.

7. Amphora Panticapaei reperta mus. Petropol. n. 1918, ed. Ant. d. Bosph. Cimm. tab. 63[a], 3.

Ab altera Medusae parte Mercurius accurrit.

8. Vasis colli anaglypho ornati fragmentum Rubeis inventum mus. Bonnensis.

Servata est Medusa magnis alis umeralibus praedita sub qua serpens volvitur et Perseus alis pedalibus instructus praeter femur et crus dextrum. Vestimenta picta sunt atramento fusco, in Medusae corpore serpente Persei pileo coloris albi vestigia restant. Dextrum anaglyphi latus definitur palmula picta; cui si in latere s. alteram palmulam respondisse credimus spatium relinquitur figurae stanti aptum.

Pictura Pompeiana.

9. H. 1182, ed. Mus. Borb. XII 48, Zahn III 23.

Scaena transposita est in regionem apertam. Praeter Perseum Minerva Medusam aggreditur hasta vibrata.

Anaglypha marmorea.

10. An. musei Aquincensis ed. Ziehen, arch.-epigr. Mitt. aus Oesterr. 1890 p. 49 fig. 4.

Post Perseum Minerva stat clipeum prae se tenens.

11. Lapis sculptus ex oppido Waitzen in museum Aquincense transportatus, cf. Ziehen l. c. p. 50.

Sculptura priori similis; Minerva deest. In parte aversa mulier nuda vestem Ledae ritu prae se tenet, supra eam clipei lineae primae agnoscuntur. Num Danae et nubes?

12. An. apud limitem qui vocatur 'Oswaldgraben' inventum, ed. Muchar, Steiermark I tab. VIII 6, cf. Ziehen l. c. p. 51. Medusam a Perseo interfectam sculptam esse conicit Ziehen.

Nummus.

13. N. Caracallae Sebastenus Galatiae, ed. Inghirami mon. etr. VI tab. L 4, 7 Millin Vases ant. tab. 78, 3 (cf. Reinach p. 87), G. M. 105, 386**.

Post Perseum Minerva stat propter spatii angustias nimis parva.

Gemmae.

14. Vitrum inventum in Monte Seleuco, ed. Millin, voyage au midi de la France, atl. tab. 72, 3. G. M. 105, 386***. Vases ant. tab. 78, 1 (cf. Reinach p. 86).

Perseus hic a d. Medusam aggreditur, cuius pectus squamis opertum videtur. Post Persei tergum scutum in aere pendet, quod ille capite reflexo adspicit.

15. Scarabaeus etruscus antiquior prope Cortonam inventus ed. M. d. I. VI 24, 4, cf. A. d. I. 1858 p. 386.

Medusa tunica longa vestita manu s. florem tenens ad genua procubuit. Perseus super eam se inclinans gladium cervici illius admovet; tergo portat cibisin magnam.

Anaglypha fictilia quae vocantur 'di Campana'.

Perseus ad d. gradiens manu d. gladium condit post ingens Medusae caput quod in aere pendere videtur. A d. Minerva Perseo obviam venit clipeum prae se tenens. Apparet totam compositionem ortam esse e Gorgoneo decoraminis loco ficto, cui quasi telamones additi sunt Perseus eique respondens Minerva.

16. An. Cumanum mus. Neapolitani ed. Bull. arch. Napol. n. s. I tab. V 1.

Perseus barbatus est.

17. Fragmentum Puteolis inventum mus. Brit. ed. Brit. Mus. 1810 tab. 13. Millin G. M. 108 bis 386**** alibi.

Servata est Persei figura praeter crura; manu s. tangit Medusae caput, cuius dimidium deest.

18. Fragmentum ed. Gori mus. etr. I 31.

Servata est Minervae pars maior et Gorgonei particula.

19. An. olim a Campana possessum, ed. Campana, opere in plastica tab. 56.

Perseus imberbis manu s. comprehendit Gorgonei recentiore modo ficti cincinnum. Minerva deest neque adfuisse videtur.

Speculum etruscum.

20. Ed. M. d. I. VI 24, 2, Gerhard E. Sp. 332.

Perseus (Pherse) admodum adulescens falce aggreditur Medusam sedentem (Tarsu), cuius corpus videtur virile esse. Ab altera Persei parte Mercurius (Turms) stat.

I^b. Pro Perseo Minerva aggreditur Medusam.

Vas pictum fig. rub.

Stamnus Vulcis inventus, cf. de Witte cat. étr. 87, cat. Beugnot 34.

Minerva hasta petit Medusam antiquo more fictam singulos serpentes manibus tenentem. Ab altera Minervae parte Perseus iuvenis capite averso gladium stringit.

K. Perseus post Medusam interfectam discedit.

Monumenta quae ex litteris novimus.

a. Hes. Scut. Herc. vv. 216—37. Perseus describitur a duabus Gorgonibus agitatus. In eodem orbe portus erat piscibus refertus et piscator, quos cum scaena nostra coniunctos fuisse coniecit Brunn Abh. d. bair. Ak. XI p. 20.

b. Eur. El. 458 ss. describit Achillis scutum, cuius in margine Perseus Medusae caput portans et Mercurius super mare fugiebant.

c. In arca Cypseli Gorgones alatae Perseum volantem persecutae fictae erant. Nomen Perseo soli adscriptum erat (cf. infra K 6) Paus. V 18, 5.

d. Pythagoras Rheginus fecit Persei statuam, quae 'alas habebat' Dio Chrys. or. 37, 10 (p. 106 R).

e. Myro 'fecit et Perseum'[1] Plin. 34, 57. Eandem statuam Pausanias vidit in arce Athenarum: Μύρωνος Περσέα τὸ ἐς Μέδουσαν ἔργον εἰργασμένον (I 23, 7).

---

[1] Quae sequuntur verba 'et pristas' cum Perseo coniungere frustra conati sunt viri docti. Obstat imprimis Pausaniae testimonium; duo enim Persei Myronei statuendi essent, si e. g. pristas esse monstra marina crederemus. Prae ceteris infeliciter nuper M. Mayer coniecit (Athen. Mitt. XVI p. 246) verbis 'Perseum et pristas' significari Danaen et Perseum coram Acrisio et fabris lignariis arca includendos, quos vidimus in vasis pictis B 1, 2. Quis tandem talem scaenam vocaret Perseum et pristas? Neque enim Perseus nec faber lignarius primas partes agit in illis picturis, sed Danae et Acrisius. Cf. Collignon Hist. de la sculpture grecque p. 465, 477.

Monumenta servata.

Vasa picta fig. nig.

Plena compositio sex personis constat: Medusa capite privata Perseo fugiente duabus Gorgonibus persequentibus Minerva Mercurio.

1. Lanx attica Aeginae reperta mus. Berol. n. 1682, ed. A. Z. 1882 tab. 9.

Medusa et Gorgones perditae sunt, Mercurii nihil nisi crus sin. restat. Adsunt Minerva attributis carens quiete stans et Perseus currens. Nomina adscripta sunt A⊗ENAIA et ≷YƎꟼƎΠ.

2. Amphora attica Athenis nuper reperta ed. Ant. Denkm. tab. 57, cf. p. 46.

Duae Gorgones more antiquissimo factae binis alis reduncis alatae ad d. currunt. S. Medusa alis complicatis ad genu s. procubuit, e collo sanguis profluit. Infra personas descriptas delphinorum series ad s. natat, quibus mare indicari videtur.

3. Cratera (δεῖνος) mus. Lupor. cf. Cat. Camp. s. II 25. Dumont-Chaplain cér. de la Gr. pr. I p. 337 adn. 3. Praesto est photographema apparatus archaeologici Bonnensis.

Omnes personae adsunt, Medusa capite privata genua inclinat, e collo sanguinis rivoli prosiliunt. Minerva caret attributis.

4. Patera Rhodia mus. Brit., ed. Journal of hell. st. 1884 tab. 43.

Medusa ad genu procubuit; ex eius collo caput equinum emergit. Mercurius et Minerva et ipsi currunt; Minerva armata est aegide magna clipeo hasta.

5. Patera attica Nolae reperta mus. Berol. n. 1753, ed. Gerhard Trinkschalen II, III. Levezow Gorgonenideal tab. II 24.

Pictura priori similis, sed minus diligenter facta. Minerva deest. Medusa manibus protentis prona procubuit, e collo sanguis profluit, supra quem caput equinum emergit.

6. Tripus atticus[1] Tanagrae repertus mus. Berol. n. 1727 ed. A. Z. 1881 tab. 3. Genick-Furtwaengler Keramik tab. 24.

Singuli pedes dividuntur in binas partes, quarum superiores

---

[1] Num atticus sit Duemmler dubitat Roem. Mitt. II p. 181 adn. qui eum Tanagrae potius factum esse putat.

continent: a) Medusam cuius e collo sanguinis rivoli surgunt et Gorgonem ad d. currentem, b) alteram Gorgonem, c) Perseum (ϟVƎϟЯƎꟼ) fugientem.

7. Hydria attica Caere reperta principis Ruspoli cf. A. Z. 1881 p. 29 adn. 2.

Praeter Medusam omnes figurae adsunt. Infra Perseum nec cibisi nec gladio insignem magnus serpens volvitur. Minerva caret attributis.

8. Patera musei Gregoriani, ed. Mus. Greg. II 92, 4, 5.

In parte altera homo nudus (Mercurius?) Perseus Gorgo ad d. currunt, in altera Gorgo inter duos Satyros et ipsa ad dextram currit.

9. Guttus in nomismatotheca (cabinet des médailles) Parisina asservatus, ed. Braun A. d. I. 1851 tab. P, Milliet-Giraudon, vases peints du c. d. m. IV, VIII c.

Omnes adsunt personae, ex Persei cibisi sanguis manat. Mercurius et Minerva non insignita stant quieti.

10. Hydria Caeretana mus. Vindobonensis n. 221 (Masner), ed. A. d. I. 1866 tab. R.

Perseus per aera fugiens, Minerva quieta, Gorgo currens manibus ingentem serpentem portans. Quarta adest mulier palliata coronam tenens. Pictura clauditur singulis sphingibus. Adscriptae sunt litterae multae non omni sensu carentes; apparet pictorem eos descripsisse neque vero intellexisse. Agnoscuntur nomen Perseo adscriptum ϟVƎꟼƎꟼ (cf. K 1) et ante sphingem dextram verba μ' ἐπόηϭεν. Serpenti a Gorgone portatae M. Mayer (Verh. d. Philol. Vers. z. Goerlitz 1889 p. 347) et Masner adscriptum esse putant ϘΕΤΟϟ, quod quamquam litteris fortasse admittitur, propter rem parum est probabile.

11. Amphora Caeretana mus. Lupor. ed. M. d. I. VIII 34, 2 cf. Dumont-Chaplain l. c. I p. 333 II p. 116 adn. 1.

Perseus ipse deest; adsunt Mercurius (HEPMIϟ) duae Gorgones Medusa procumbens manibus innixa. Inter alas caput prominet haud dubie ab homine recenti additum cf. Dumont l. c.

12. Amphora mus. Monac. 619, ed. Gerhard A. V. 88, Trinkschalen u. Gef. II 8.

Omnes adsunt personae; Mercurius et Minerva inter se colloquuntur; Perseus per aera eos praetercurrit.

13. Amphora Vulcis inventa mus. Brit. n. 548, cf. de Witte cat. Dur. 243.

Pictura videtur similis esse priori: quae a Wittio Perseo datur 'harpe', haud dubie est gladius vulgaris. Infra Perseum adumbrati sunt montes, Medusa deest.

14. Amphora mus. Monac. n. 1187, ed. Micali storia tab. 88, 5, 6, Gerhard A. V. 216.

Medusa ad d. concidit, Perseus d. manu falcem, brachio s. cibisin gerens ad d. fugit. A s. Minerva accurrit, aegidem manu s. protendens d. hastam gerens. Post personas descriptas arbor est fructibus rotundis onusta[1].

Vasa picta fig. rub.

15. Amphora mus. Monac. n. 54, ed. Micali mon. ined. 44, 3.

Perseus cum cibisi pileo caligis alatis manu d. cultrum curvatum gerens ad d. currit. In altera vasis parte Gorgo antiquo more ficta et ipsa ad d. currit.

16. Amphora quae vocatur 'a colonnette' cf. cat. Camp. s. XI K 11.

Mercurius et Perseus ad s. currunt, inter utrumque Minerva stat.

17. Amphora mus. Berol. n. 2344, ed. Panofka verl. Mythen tab. 2.

Perseus iuvenis ad s. currit brachio s. cibisin e qua Medusae crines prominent, manu s. falcem serratam portans. S. iuvenis palliatus stat.

18. Hydria Nolana ed. Panofka mus. Blacas tab. 11.

In altera parte Medusa capite privata manibus passis concidit, in altera Perseus (ΠΕΡΣΕΣ ΚΑΛΟΣ) cum falce et cibisi fugit.

19. Hydria Vulcis inventa mus. Berol. n. 2377, ed. A. d. I. 1851 tab. O.

Perseus manu d. cultrum magnum curvatum, lacerto s. ci-

---

[1] Num Perseus repraesentatus sit in hydria cat. Camp. s. II 28 descripta hunc in modum: 'una Gorgone alata insegue a grande corsa un giovanetto con lungo e sparso crine, che fuggendo a veloci passi rivolge la testa indietro' discerni nequit vase non inspecto.

bisin, manu s. Medusae caput, cuius rictus magnus est oculi clausi sunt, portans discedit a Minerva.

20. Scyphus Nolanus mus. Luporensis, ed. Jahn Philol. 27 tab. I 1.

Mercurius et Perseus falce et cibisi insignis ad s. currunt; inter utrumque Neptunus stat)(Pictura N 5.

21. Vasculum Nolanum figuris impressis ornatum mus. Brit., ed. Mon. Bull. Ann. 1855 tab. 2.

Iuxta columnam sphinge coronatam Medusa alata capite privata concidit; d. Chrysaor nudus humi sedet; supra Medusam Pegasus volat. Ad s. duae Gorgones pulchrae dextris manibus singulos serpentes tenentes currunt. Ante eas Perseus et ipse ad s. fugit cum falce et cibisi; ante hunc Mercurius currit. S. Minerva stat.

22. Amphora Plistiae reperta mus. Neapol. n. 1767 H., ed. Mus. Borb. XIII 59.

Medusa capite privata cuius e collo Pegasi alati caput prominet in saxo sedet inter duas Gorgones currentes, quae manibus singulos serpentes portant. Perseus fugit cum harpe et Medusae capite. S. Satyrus barbatus.

23. Amphora Capuana mus. Berol. n. 3022, ed. M. d. I. VIII tab. 34, 1.

Sub arbore fructibus fulvis onusta tres Gorgones pulchrae dormiunt. S. Medusa capite privata sedet, cui a s. appropinquat Perseus d. falcem s. caput recisum portans.

Quod quattuor hic adsunt Gorgones quodque Perseus non discedit a Medusa sed ad eam accedit, non potest explicari nisi duabus scaenis a pictore italico confusis, quarum altera Perseus Medusae dormienti obrepens (cf. H 6) altera post caedem discedens pictus erat.

24. Amphora etrusca mus. Monac. n. 910, ed. Gerhard A. V. 89, 3, 4.

E Medusae collo Pegasus alatus et Chrysaor nudus una prodeunt; Gorgo tunica longa vestita manibus serpentes tenens ad s. currit. In altera vasis parte Perseus cum cibisi, e qua Medusae caput prominet, falce caduceo ad s. graditur, sequitur mulier ab homine recenti restituta.

25. Cratera Nolana neglegenter picta, ed. Gerhard A. V. 89, 1, 2.

Perseus iuvenis cum harpe et cibisi appropinquat mulieri tunica longa vestitae, cuius e collo caput cervi[1] prominet. Ad d. conversa femina stat alata tunica longa vestita coronam et vittam portans (Victoria)[2].

Specula etrusca.

26. Ed. Gerhard E. Sp. 121.

Perseus iuvenis pileo alato, tunica longa vestitus magnis alis umeralibus praeditus ad d. currit, manu s. cibisin, d. falcem portans, caput reflectens.

27. Rollini et Feuardentis Parisinorum, ed. Gerhard E. Sp. V 68.

Perseus (Pherse) ad d. fugit cum falce hastis cibisi, e qua prominent crines. Eum persequitur deus marinus (Purcius) tridentem vibrans, cui obviam graditur Minerva (Menrfa) aegide protenta Perseum defendens. D. mulier alata (Meanpe) stat, cuius inter pedes piscis natat. Purcium esse Phorcyn Medusae patrem Koerte agnovit.

Anaglypha.

28. Sarcophagi Cyprii latus breve alterum, ed. Cesnola coll. of cypr. ant. tab. 74 n. 478.

S. Medusa vestita tunica longa, alata quattuor alis, capite privata concidit; ex eius collo ad s. Chrysaor, ad d. Pegasus surgunt; mater altera manu Chrysaoris brachium d. altera Pegasi pedem priorem s. comprehendit. Ad d. Perseus discedit barbatus, manu d. falcem gerens, s. cibisin e baculo pendentem portans. Inter Medusam et Perseum canis sedet ad d. conversus.

29. Heroi Trysaei muri orientalis an., ed. Benndorf das Heroon von Gjoelbaschi-Trysa tab. XIX 9, cf. p. 175.

Homo nudus chlamyde volante brachio d. protento magnis gradibus ad s. currit; manu s. retenta caput humanum portat. Ante eum est res quaedam coni forma quam praetercurrit. Post conum illum canis prominet.

---

[1] Caput equinum, cornua autem quae videntur sanguinem prosilientem esse coniecit Hermann Perseus u. Andromeda p. 5.

[2] Scyphum a Stackelbergio, Gr. d. H. 39 editum, in quo Perseus a Medusa caesa discedens compositus est cum Chimaera et Hydra, falsatoris opus esse Stephani docuit, Compte-Rendu 1881 p. 36.

30. An. fictile Meli repertum mus. Brit. ed. Millingen Anc. uned. mon. II 3, Mueller-Wieseler D. a. K. 14, 51.

Perseus iuvenis capite reflexo ad d. equo vehitur, s. gladium acumine curvato, d. Medusae caput portans. Sub equo Medusa tunica longa vestita ad genu s. procubuit; ex eius collo Chrysaor nudus prominet.

31. Tripus aeneus mus. Berol. cf. B. a. B. II 767.

Tres pedes superantur singulis figuris, quarum prima est Gorgo, reliquae duae viri currentes sunt nulla re insignes. In exemplari graeco hi viri haud dubie fuerunt Perseus et Mercurius[1]).

32. Strigilis attica musei Berolinensis, B. a. B. II 202, ed Heydemann Marmorbildw. zu Athen p. 107.

Strigili eadem forma bis impressum est signum ovale: Perseus nudus crure s. sublato ad d. saliens. In margine litterae Γορ exstant.

33. Anaglyphi marmorei pars sinistra, ed. Mon. Matthaeian. III 28, 1, Braun XII Basreliefs, ad tab. X, Raoul-Rochette choix p. 301.

Perseus cum Medusae capite et gladio ad d. currit caput reflectens ad Minervam, quae sequitur clipeum prae se tenens Dextra anaglyphi pars infra (R 11) describetur.

Gemmae.

34. Scarabaeus etruscus mus. Berol. II 47.

Perseus nudus (Pherse) alis pedalibus instructus cum Medusae capite pulchro ad d. currit.

Haud dubie hic est scarabaeus, quem Lanzi saggi II 4, 5 et Millin G. M. 105, 386 ediderunt. Quod apud illos alae pedales desunt, pictoris neglegentiae tribuendum erit.

35. Sardonyx mus. Petropolitani, 'ed. Stephani Apollon Boedromios tab. IV 7, 8.

Perseus pedibus alatis per aera volat d. harpen, s. Medusae caput alatum protendens. In altera parte legitur: φύ(γε) ποδάγρα, Περσεύς σε διώχι.

---

[1] Similem figuram hominis nudi eiusque crepidis alatis praediti ad dextram currentis edd. Micali mon. ined. 19, 4 et Schoene museo Bochi di Adria 18, 1.

Picturae parietalis fragmentum.

36. Cf. Bull. communale di Roma 1880 p. 284, 4.

Perseus libratus per aera volat d. harpen, s. rem quandam, quae num Gorgoneum fuerit non iam agnoscitur, portans[1].

Nummus.

37. Seriphiorum mus. Brit. Seriphos 10, ed. Caldavène tab. IV 27, Catal. of. gr. coins, Crete a. Aegean Isl. tab. XXVII 7.

Medusae caput et harpe)(Perseus ad s. currit s. harpen, d. rem non agnoscendam gerens.

L. Perseus Minervae tradit Medusae caput.

Vas pictum fig. rub.

Cratera Plistiae reperta mus. Neapol. n. 2202 H., ed. Dubois-Maisonneuve introd. 45, Mus. Borb. V 51.

Coram Iove Iunone Dioscuris Nympha Satyro Perseus Minervae tradit Medusae caput parvum albo colore pictum. Ad Minervam Victoria advolat, altera Victoria Iovem coronatura est. Post Perseum serpens se arrigit. Vasis partes haud parvae ab homine recenti restitutae esse videntur; inprimis serpens ille gravem suspicionem movet.

M. Minerva Perseo Medusae caput aqua reflexum monstrat.

Vasa picta fig. rub[2].

1. Patera Rubeis inventa mus. Neapol. n. 2562 H., ed. Minervini mem. acad. tab. I.

Perseus (ΠΕRΣΕΥΣ) in loco edito sedens ad puteum despicit, supra quem Minerva Medusae caput pulchrum tollit. A s. Victoria accurrit; d. Satyrus primis pedibus se erigit.

2. Cratera Rubeis inventa mus. acad. Lips., ed. Saechs. Ber. 1847 p. 287.

---

[1] Haec Persei figura decoraminis causa picta videtur excerpta esse ex Andromedae liberandae imagine cf. R 12, 13.

[2] De his vasis cf. imprimis O. Jahn Saechs. Ber. 1847 p. 287 ss.

D. Minerva iuxta puteum quadratum stans caput senile tollit. S. Perseus pede s. putei margini insistit. Post eum Mercurius stat, d. Satyrus caput avertit.

Persei figuram fictam esse ad exemplar iuvenis situlam e puteo trahentis, qui occurrit in patera attica artis severae ed. Saechs. Ber. 1878 tab. 5, Benndorf docuit, das Heroon v. Gjoelbaschi, p. 114, cf. p. 112 figg. 115, 116.

3. Cratera Rubeis inventa, ed. A. d. I. 1850 tab. A.

D. Minerva sedens tollit Medusae caput pulchrum, quod fonte lapidum circulo adumbrato reflectitur. S. Perseus pedem s. in saxo collocans in fontem despicit.

4. Cratera in Basilicata inventa, ed. A. d. I. 1851 tab. N.

D. Minerva stans Medusae caput formae antiquioris tollit. S. Perseus sedens pedes in lapidum circulo (fonte male intellecto a pictore) collocat. Post eum virgo speculum tenens pede s. (ut in priore pictura Perseus) saxo insistit.

Specula etrusca.

5. Mus. Berolinensis, B. a. B. II 140, ed. Gerhard E. Sp. 122.

Minerva (Menrfa) et Perseus (Pherse) Medusae caput fonte quadrato reflexum contemplantur. Post Perseum mulier, post Minervam Apollo (Aplu) stant.

6. Galleriae Florentinae, ed. Gerhard E. Sp. 123 alibi.

Minerva (Menrfa) et Perseus (Pherse). Medusae caput quamquam Minervae manui deest, aqua reflectitur.

7. Ed. Gerhard E. Sp. 124 Minerva (Menrfa) et Perseus (Charmmi) neglegentissime picti; Medusae caput vix agnoscitur.

8. Castellanii, ed. Gerhard-Koerte E. Sp. V 69.

Medusae caput in aqua non conspicitur. Post Perseum mulier sedet, post Minervam iuvenis pileo phrygio tectus.

N. Perseus ad Polydectem fert Medusae caput.

Monumenta quae ex litteris novimus.

a. In pinacotheca arcis Athenarum καὶ Περσεύς ἐστιν ἐς Σέριφον κομιζόμενος Πολυδέκτῃ φέρων τὴν κεφαλὴν τὴν Μεδούσης. Paus. I 22, 7.

b. In templi Apollonidis Cyziceni columna XI sculptus erat

Polydectes a Perseo in lapidem conversus Gorgonis capite. Anth. Pal. III 11.

Monumenta servata.

Vasa picta fig. nig.

1. Amphora eius generis quod 'affektiert tyrrhenisch' olim vocabant viri docti[1], ed. Mus. Greg. II 31. 2.

Ab homine in sella sedente ad d. discedit vir barbatus lacerto d. cibisin, manu s. caduceum gerens. Ab altera parte viro sedenti appropinquat vir alatus quattuor alis. Praeterea adsunt duo viri tunicis longis vestiti. Similis est alterius partis pictura.

2. Fragmentum in arce Athenarum repertum, ed. Ἐφημ. ἀρχ. 1885 tab. 5. cf. A. J. VII p. 37 ss.[2].

Perseus chlamyde crepidis alatis vestitus in arae gradu stat ad d. conversus, manu s. prae se tenens magnam cibisin, e qua prominet Medusae caput rubrum. Persei caput deest. Adscriptum est: ΡΟΛΟϟ ΚΕΦΑVΕ = ⟨Γο⟩ρ[ο]γοῦς κεφαλή. A. s. vir barbatus ad d. conversus sedet sceptro innixus capite reflexo; post eum alter sedebat homo, cuius genu s. restat; tertii, qui stabat, manus s. relicta est. D. homo sedebat, cuius cubitus s. agnoscitur.

Vasa picta fig. rub.

3. Cratera magna mus. Biscariani, ed. D'Hancarville IV 128, Millin peint. de vases II 3, 4 (cf. Reinach p. 45) G. M. 95, 347, Inghirami vas. fitt. 70, 71.

Perseus manu s. Medusae caput tollens d. demissa falcem tenens caput ad s. convertens colloquitur cum Minerva. Post hanc in re quadam saxis rudibus constante quae paene arae formam praebet mulier sedet diademate ornata. Si sedem illam appellare aram licet, certe Danae picta est, quae ut Polydectis libidinem vitet ad aram confugit. Ab altera Persei parte Polydectes in sella sedens perterritus Gorgoneum adspicit; post eum iuvenis baculo innititur. In altera vasis parte duae Gorgones ad s. currunt, quarum priori mulier, alteri Neptunus obviam veniunt.

---

[1] Duemmler, roem. Mitt. II p. 184 eam appellat atticam causis non allatis.

[2] P. Kretschmer l. c. recte explicavit scaenam pictam, cum Tsuntas agnovisset Perseum ad Cepheum pervenientem.

4. Cratera Bononiensis, ed. Luckenbach A. d. I. 1881 tabb. F, G.

Perseus manu s. Medusae caput, d. duas hastas tenet. D. Polydectes capite calvo insignis, usque ad ventrem cum lapide in quo sedet concrevit. S. Minerva pede s. saxo innixa mentum manu s. fulciens attente Perseum adspicit.)(Iuvenis palliatus tropaeum contemplatur.

5. Scyphi Nolani K 19 orbis superioris pars altera.

Perseus inter duos viros sedentes stat, quorum alteri (Polydecti) Medusae caput ostendit, alterum (Dictyn) falce innuens hortari videtur, ut oculos avertat.

6. Amphora Nolana, ed. Philol. 27 tab. III.

Perseus Gorgoneum pulchrum a collo tollens monstrat Polydecti, cuius crura iam in saxum conversa sunt.

O. Perseus contra Bacchi thiasum pugnat.

Vasa nigris figuris ornata.

In his Perseus gladio stricto in duas Maenades irruit.

1. Amphora loci incerti ed. de Witte Gaz. Arch. I tab. 29. cf. Kretschmer A. J. VII p. 32 ss.

Perseus barbatus subligaculo caligis uncatis petaso vestitus gladio stricto persequitur virginem ad d. fugientem tunica longa pallioque vestitam; ad s. altera virgo priori similis fugit. E Persei lacerto s. cibisis magna pendet, post eum arbor picta est. Adscriptae sunt litterae sensu carentes.

Maenades primus agnovit P. Kretschmer l. c.

2. Amphora mus. acad. Wuerzburgensis (Urlichs Verzeichn. d. Wuerzburger Antikensammlung 1872 n. 121) olim collectionis Feolianae[1].

Olim putavi hoc vas idem esse atque id quod praecedit, donec Loeschckio intercedente Sittl v. cl. liberaliter transmisit picturam Wuerzburgensem charta tralucida descriptam. Figurae vasis Wuerzburgensis sunt paullo aliter motae; accuratius picta est cibisis; litterae desunt.

---

[1] Campanari, vasi dipinti della collezione Feoli n. 95 erravit cum figuras esse rubras contendit.

Vasa picta fig. rub.

Perseus Medusae capite satyros terret.

3. Cratera in Basilicata reperta, ed. Millingen peint. de vases 3, Inghirami mon. etr. V 43. Jahn Philol. 27 tab. I 3.

Perseus spectanti adversus manu d. sublata tenet Gorgoneum pulchrum, s. demissa harpen. Quod ab eius cervice pendet pileum alatum ab homine nostrate restitutum est. S. Satyrus ad genu procubuit. A d. alter decurrit et ipse concidens.

4. Cratera musei Bonnensis nuper Fontanae, ed. Curtius Herakles der Satyr, Berlin 1852. Jahn l. c. tab. I 3. cf. Arch.-ep. Mitt. a. Oe. 1878 p. 132 n. 100.

Perseus priori similis, Medusae caput anguibus cinctum est. A s. Satyrus accurrens oculos manu tegit, ex eius manu taenia humum cadit. Inter hunc et Perseum arbor est. A d. noctua advolat coronam portans.

5. Cratera Barii reperta mus. Petropol. n. 1609.

Perseus et Satyrus prioribus ut videtur similes; ab altera Persei parte Minerva stat.

P. Cetera monumenta, quibus Perseus Medusae interfector repraesentatus est.

Monumenta quae ex litteris novimus.

a. In Aegypti oppido Chemmide Persei templum cum herois simulacro erat cf. Herod. II 91.

b. Parrhasius pinxit ‘in una tabula quae est Rhodi Meleagrum Herculem Persea’. Plin. 35, 69.

Vas pictum fig. rub.

1. Cratera apulica, ed. Millingen vases Coghill tab. 28, 1.

Perseus d. falcem, s. hastam umeris acclinans ad Minervam accurrit.

Specula etrusca.

2. Mus. Berol., B. a. B. II 141, ed. Gerhard E. Sp. V 71.

Perseus in saxo sedet s. falcem tenens; d. Mercurius, s. iuvenis hastae innixus stant.

3. Mus. archaeol. Florentini, ed. Gerhard E. Sp. V 70.

Perseus d. Medusae caput tollens inter duas Lasas.

Picturae Pompeianae fragmentum.

4. H. 1181.

Iuvenis pileo phrygio chlamyde vestitus s. harpen tollens.

Statuarum fragmenta.

5 et 6. Capita marmorea ad idem exemplar facta, alterum mus. Brit., ed. Murray J. of h. St. 1881 tab. IX, alterum Romanum, ed. Klein Bull. communale di Roma 1890 tab. XIII.

Capita iuvenilia alata sunt paullo ad s. conversa artis saeculi quinti. Exemplar Londinense tectum est galero quodam e squamis conserto; in occipite foramen est (item in exemplari Romano), cui insertum fuisse vulturis caput (cf. nummos P 22, 28, 38) Murray coniecit. Sed videtur illud foramen nimis parvum esse, videtur potius factum esse ad excipiendum acumen, quale habet Persei galea in statere Cyziceno P 29. Alterum foramen in parte s. est ad excipiendam alam s., quae nunc deest.

Gemma ectypa.

7. Sardonyx mus. Berol. cf. Furtwaengler A. J. III p. 249, 4 f.

Perseus in rupe sedens d. tollit Medusae caput eiusque imaginem aqua reflexum contemplatur. cf. M, S.

Gemmae incisae.

8. Vitrum tricolor mus. Berol. IV 216 T.

Perseus d. harpen, s. Medusae caput tenet.

9. Smaragdus mus. Berol. IV 217 T.

Perseus d. tollit Medusae caput, s. harpen tenet.

9a. Plasma mus. Brit. cf. Cat. of Gems in the Brit. Mus. 1259.

Perseus ad d. conversus s. tollit Medusae caput, d. harpen tenet; ante pedes illius scutum iacet.

9b. Plasma mus. Brit. cf. l. c. 1260.

Perseus ad d. conversus s. Medusae caput post tergum abscondit, d. gladium tenet.

9c. Plasma mus. Brit. cf. l. c. 1261.

Perseus spectanti adversus s. Medusae caput, d. harpen tenet; inscriptum est ΑΤΤΑΛΙΑΝΟΥ.

10. Vitrum fuscum mus. Berol. IV 218 T.

Perseus priori similis iuxta Minervae statuam columnae impositam stat; humi scutum iacet.

11. Vitrum fulvum mus. Berol. IV 219 T. Eaedem figurae.

12. Carneolus, ed. Reale Galleria di Firenze V 15, 3[1]. Perseus iuxta Minervae statuam basi impositam stans dextra tollit Medusae caput, quod clipeo ad pedes iacente reflectitur.

13. Vitrum fuscum mus. Berol. IV 220 T.

Perseus cum Medusae capite et harpe iuxta columnam stat, cui imposita est pila.

14. Chalcedon mus. Brit. cf. A. J. II p. 198.

Persei caput cum pileo alato et harpe.

14a. Plasma mus. Brit. cf. l. c. 1257.

Persei caput ad. d. conversum cum galea alata.

15. Ed. King ant. gems and rings tab. II 47, 5. Caput Persei regis (vel Philippi V?) ad s. conversum cum Persei herois attributis (galea alata vulturis capite ornata et harpe)[2].

Nummi.

α) N. Argivi.

16. cf. Catalogue of greek coins. Peloponnesus; Argos. Gardner num. comm. to Paus. p. 84.

a) Lucii Veri C. g. c. 161 tab. 28, 19, Gardner tab. I 18.

b) Hadriani, ed. Gardner tab. I 17.

c) Sept. Severi C. g. c. 167.

d) Valeriani C. g. c. 176.

In parte reversa Perseus spectanti adversus manu d. tenet Medusae caput, unde avertit caput, s. harpen et chlamydem.

17. Septimii Severi, ed. Imhoof-Blumer choix tab. II 67 Gardner l. c. tab. I 20.

Perseus d. harpen et chlamydem portat, s. Medusae caput supra clipeum in ara stantem tollit. Ab altera arae parte Minerva stat.

18. Septimii Severi coll. Imhoofianae, ed. Gardner l. c. tab. I 19.

Perseus priori similis; Minerva deest.

19. Septimii Severi mus. Berol., ed. Gardner l. c. tab. FF 22.

Perseus barbatus (?) d. harpen, s. Medusae caput tenet.

---

[1] Alter Perseus ibidem tab. 17, 1 editus num antiquus sit dubito.

[2] Hoc exemplar suspectum videtur viris doctis A. H. Smith A. S. Murray cf. Cat. of Gems in the Brit. Mus. 1527.

20. Antonini Pii mus. Venetiani, ed. Gardner l. c. tab. I 21. Persei caput alatum et harpe.

β) Asines.

21. Iuliae Domnae, ed. Gardner l. c. tab. GG 23.

Perseus caligis alatis insignis d. harpen, s. Medusae caput tenet.

γ) Seriphi[1].

Cf. C. g. c. Crete and Aegean Islands; Seriphos.

22. Anni a. Chr. n. circ. 300, ed. C. g. c. tab. 27, 2.

Persei caput ad d. conversum tectum galea alata vulturis capite ornata)(harpe.

23. Aevi serioris: ed. C. g. c. tab. 27, 3.

Persei caput ad d. conversum alatum)(Perseus ad d. conversus galea alata tectus harpen et Medusae caput portans.

24—26. Aevi serioris: ed. C. g. c. tab. 27, 4—6.

Persei caput ad d. conversum)(aut Medusae caput aut harpe aut utrumque.

δ) Gyari.

27. Cf. Head historia nummorum p. 414.

Perseus cum harpe et patera (?))(caput femininum corona murali tectum.

ε) Astypaleaae.

28. Cf. Borrell Numism. Chron. s. III, vol. IX p. 163, 23.

Caput Persei ad d. conversum galea alata tectum)(harpe.

ζ) Cyzici.

29. a) Stater saeculi V partis prioris, ed. Numism. Chron. s. III, vol. VII tab. III 24 (ex. Londinense) 25 (ex. Parisinum).

Persei caput iuvenile tectum galea acumine praedita alata magnis alis reduncis.

b) Hecta eiusdem signi mus. Berol.

30. a) Stater anni fere 400 mus. Paris. M. d. I. III 35, 22, 23 Numism. Chron. VII tab. 26.

Perseus chlamyde vestitus tectus galea alata ad genu d. se demisit capite reflexo; s. Medusae caput pulchrum tenet.

---

[1] Cf. K 35.

Persei galea praebere videtur formam ἀλωπεκῆς thraciae, ab Atheniensibus quoque portatae (Michaelis Parthenon tab. 9, 8. 15. 19, 10, 3. 4. 36. cf. Furtwaengler Berl. Winckelmannsprogr. 1890 p. 160).

Infra Perseum thynnus est.

b) Hecta eiusdem signi collectionis Imhoofianae[1].

η) Iconii.

Cf. Waddington Rev. numism. 1883 p. 47, 9, 10; 49, 22.

31. Persei pectus et caput galea alata tectum; umero acclinata est harpe.

32. a) Iconii, b) Coloniae Iconii.

Perseus stans cum harpe et Medusae capite.

θ) N. Pontici.

Cf. C. g. c. Pontus etc. Imhoof-Blumer Abh. d. Muench. Ak. 1888 p. 562.

33. a) Amisi C. g. c. 30—36 (n. 32 tab. III 3).
b) Cabirae „ 1.
c) Comanae „ 1.
d) Amastris „ 7, 8 tab. XIX 8.
e) Sinopes „ 42—44.

Perseus spectanti adversus pileo phrygio tectus d. harpen, s. Medusae caput tenet. Post eius pedes Medusae corpus iacet.

34. a) Amasiae C. g. c. 2 tab. I 13.
b) Amisi „ 65—67 tab. III 13.
c) Sinopes „ 45, 46.

Caput Persei alatum ad d. conversum.

35. a) Amisi C. g. c. 60—64 tab. III 12, Imhoof-B. l. c. tab. III 4.
b) Chabactae Imhoof-B. tab. IV 12.

Persei (vel Mithridatis?) caput ad d. conversum tectum galea vulturis capite ornata)(Pegasus potans.

36. Amisi C. g. c. 68 tab. IV I.

Idem signum)(harpe alata.

37. Mithridatis Eupatoris C. g. c. 13, 14.

Persei caput alatum ad s. conversum.

---

[1] Insigni Imhoofii liberalitate accepi huius nummi ectypon.

ι) N. Macedonici.

38. Philippi V regis, ed. Gardner types of gr. coins XII 45, Head hist. num. fig. 148.

Philippi caput in clipeo macedonico ad s. conversum cum galea alata vulturis capite ornata; harpe.

39. Persei regis, cf. Head l. c. p. 206.

Persei herois caput[1].

Q. Andromeda Ceto exposita. Persei cum Ceto pugna.

Monumenta quae ex litteris novimus.

a. Pictura ab Antiphilo laudata Anth. Gr. 157, 13 (Plan. IV 147). Aderant Perseus alis pedalibus et Gorgoneo insignis, Andromeda saxo adfixa, Cetus, Cassiepia.

b. Luc. de domo 22 describit picturam, in qua Andromeda ex rupe contemplatur Perseum contra Cetum harpe et Gorgoneo simul pugnantem.

c. Achilles Tat. Erot. III 6, 7 contendit se in Iovis Casii templo Pelusino vidisse duas picturas, quarum altera Prometheum ab Hercule servatum[2], altera Andromedam et Perseum ex aere cum Ceto pugnantem contineret.

d. Heliodorus Aethiop. X 6 in insula Meroe positas fuisse Persei et Andromedae statuas dicit.

Monumenta servata.

Vas pictum fig. nig.

1. Amphora Corinthiaca Caere reperta mus. Berol. n. 1652, ed. M. d. I. X 52.

---

[1] In aliis nummis Macedonicis velut C. g. c. 72—74, 79, 80, Amphipolis 23, Pellae 3, 4, Thessalonices 2 (cf. Mus. Berol. Pella, Amphipolis) malim cum Poolio et Salletio agnoscere Romam quam Perseum.

[2] Garucci A. d. I. 1860 p. 110 premit cistam Praenestinam Q 10 et cistam quae Promethei fabulam exhibet (M. d. I. VI 39) una inventas. Neque vero solum ubi inventa sit utraque cista ignoramus (cf. Schoene A. d. I. 1866 p. 166) sed etiam Promethei cista valde suspecta est viris doctis, cf. Schumacher, eine praenest. Ciste im Museum zu Karlsruhe p. 51 adn. 3.

Perseus (MYꓭMꟼꓭП) contra monstrum (KBTOM) lapidibus coniectis pugnat, quos ei Andromeda (AΔ8⟨M⟩OꟼΔMA) post eum stans offert.

Vasa picta fig. rub.

2. Hydria Vulcis inventa mus. Brit. n. 801. ed. Archaeologia 36 tab. 6. Mediam picturam Andromeda tenet vestita tunica brevi manicata bracis pileo qualem interdum Amazones habent (cf. e. g. Millin peint. d. vas. I 10). Uterque eius lacertus fulcitur a singulis pueris Aethiopibus. A d. tres Aethiopes apportant supellectilem muliebrem, s. alteri tres terrae palos infigunt. In extrema parte d. Cepheus in saxo sedet ad s. conversus. Post eum Perseus stat pileo alato insignis hastis armatus.

3. Amphora magnifica Canusii inventa mus. Neapol. n. 3225 H. ed. Minervini mem. acad. I tab. 2—4 = mem. della acad. Ercol. IX tab. 5—7.

In zona superiore Andromeda manibus passis ad duos arborum truncos affixa est. Ad eam a d. accedit Cepheus senex imberbis a iuvene Phrygio fultus. S. Cassiepia maesta in patera erecta sedet; serva eam umbella tegit. In parte d. extrema puella lugens faciem occulit.

In zona inferiore Perseus contra draconem marinum harpe pugnat, dum quinque Nereides variis beluis marinis vectae pugnam intente contemplantur. Perseo Amor coronam offert.

4. Amphora in Lucaniae oppido Misanello reperta collectionis Santangelianae n. 708 H., ed. M. d. I. IX 38 cf. A. d. I. 1872 p. 108 ss.

Pictura priori similis sed multo minus diligenter picta in tres partes divisa est. In parte suprema Venus picta est cum Amore et Suada et tres iuvenes Phrygii, quorum unus cochleam tubae loco habet.

In parte media eaedem personae occurrunt atque in parte superiore vasis prioris; in parte infima Perseus rursus cum Ceto pugnat coram duabus Nereidibus et Scylla, cuius venter duodecim canum capitibus cingitur.

5. Amphora ibidem reperta coll. Santangel. n. 24 H., ed. Raoul-Rochette mon. inéd. tab. 41.

In parte infima Andromeda alligata est (utrum arbori an

saxo discerni nequit, cum vas passum sit pictorem recentem cf. Trendelenburg A. d. I. 1872 p. 114). Ante eam Perseus barbatus stat d. sublata harpen tenens; infra conspicitur Ceti caput. D. Cepheus et Cassiepia colloquuntur.

6. Fragmenta vasculi cf. Heydemann 7. Hall. W. P. p. 11. adn. 30.

Andromeda alligata est arcui lapideo.

7. Vasculum olim Casanovae Neapolitani, cf. Schulz A. d. I. 1838 p. 184.

Andromeda alligata est duabus arboribus.

8. Hydria olim Templei figuris luteis male picta cf. Panofka A. Z. 1848 p. 246.

Andromeda alligata est duabus columnis; a s. femina appropinquat hydriam capite portans, d. Perseus stat a pictore recenti male restitutus.

---

9. Patera etrusca ed. A. d. I. 1878 tab. S.

Perseus ad s. currit d. harpen alatam protendens s. Medusae caput Satyro simile portans. Ante eum Ceti barbati caput surgit.

Cista Praenestina.

10. Musei Luporensis, ed. M. d. I. VI 40 cf. A. d. I. 1860 p. 110 ss.

Ante saxa deserta Andromeda nuda alligata est iugo ligneo. D. mulier sedet illam adlocuta, s. Perseus hasta contra draconem pugnat. Iuxta hunc Silenus in saxis sedet. Pars altera infra s. V 1 describetur.

Picturae Pompeianae.

11. H. 1184, ed. Pitt. d'Erc. IV 61 alibi.

In regione deserta Andromeda rupibus adfixa stat; infra eam in mari Perseus cum Ceto crocodilo simili pugnat. Ad s. nympha marina fugit.

12. H. 1183.

Andromeda priori similis; infra eam Cetus; Perseus a s. per aera advolat.

13. cf. Mau B. d. I. 1883 p. 129, 3.

D. ante rupem mari circumdatam Andromeda stat; Cetus

a s. approquinquat capite sublato ad Perseum qui et ipse a s. per aera advolat.

14. S. 517.

Pictura priori similis; pars superior deleta est.

15. cf. Mau B. d. I. 1882 p. 106, 80.

Agnoscuntur Perseus prioribus similis, monstrum, rupis arborisque partes.

Andromedae et Persei personae.

16. S. 740, ed. Robert A. Z. 1878 tab. 3.

S. rupi acclinata est persona virilis cum galea alata unco ornata, iuxta eam harpe et pera. Mediae rupi adfixa est persona muliebris pallida capillis nigris incomptis, infra quam Ceti caput hians ex undis prominet. D. in rupe parentum personae conspiciuntur.

17. cf. Mau B. d. I. 1885 p. 94, 1.

S. Persei persona galea uncata tecta; iuxta eam harpe acclinata est. D. Andromedae persona flava; inter utramque Ceti caput.

Anaglypha fictilia.

18. Atticum, ed. Fraenkel A. Z. 1879 tab. 11.

Andromeda manibus passis in saxo stat; iuxta eam capsula et crepidae. Perseus a s. adveniens infra illam stat baculo rudi innixus s. gladium et cibisin tenens.

---

19. a) Lucerna Romae reperta, ed. Bartoli-Bellori-Beger, lucernae I 9. Montfaucon ant. expl. V 202, 2.

b) eiusdem formae ectypon melius servatum mus. Ravesteiniani, cf. Musée Ravéstein III p. 270 n. 347 a, Heydemann l. c. B.

Andromeda in saxo sedens capite reflexo colloquitur cum Perseo, qui a s. accedit manu s. gladium umero acclinans. Infra saxum monstrum sedet. D. Cepheus et Cassiepia colloqui videntur.

20. Mus. nat. Neapol., ed. Heydemann l. c. tab. III 1.

Andromeda vestita in saxo sedet ad s. conversa, unde Perseus accedens manum s. Andromedae umero imponit, d. harpen contra monstrum stringit.

21. Ed. Campana Opere in plastica tab. 57.

D. Andromeda nuda manu s. saxo adfixa est. Ab eadem parte Perseus ad s. decurrens harpe stricta monstrum immane fugat.

Anaglyphi marmorei fragmentum.

22. cf. Matz-Duhn n. 4105.

Servata sunt Andromedae corporis pars inferior, Persei pedes.

Urnae etruscae.

Sub arcu lapideo Andromeda sedet manibus passis arcui adfixis. A d. Ceti caput prominet, ut videtur torpefactum. S. Perseus stat Gorgoneum tollens, in extrema parte d. Cepheus sedet. Ad Andromedam a d. Furia alata accedit.

23. Mus. Volaterranei n. 330, ed. Gori mus. etr. I 123, Inghirami mon. etr. I 55. Koerte, rilievi delle urne etr. tab. 39, 1.

24. An. ad idem exemplar factum Volaterraneum cf. Koerte p. 103 n. 39, 1 a.

25. U. Florentiae in palatio Antinoriano asservata Duetschke II 367, ed. Koerte l. c. tab. 39, 2.

Eaedem personae.

26. U. mus. Volaterranei n. 331, ed. Gori mus. etr. III, I 1. Inghirami mon. etr. I 56. Koerte l. c. tab. 40, 3.

Arcus deest; Andromeda sine compedibus in saxo sedet. Furia deest. Figurae secernuntur singulis palmis.

Anaglypha Galloromana.

27. An. Arloni inventum, ed. Wiltheim Lucilburgensia n. 225.

Quantum in pictura foedissima agnosci potest, s. Andromeda stat manibus passis rupi adfixa; caput ad d. convertit ubi Perseus stat d. Medusae caput protendens s. falcem tenens. Infra Andromedam monstrum agnoscitur.

28. An. Trevirense ed. Wiltheim l. c. 226. Andromeda hic d. stat Psychae vinctae similis, Perseus a d. accedit. Infra virginem monstrum infantem devorat. Apud Wiltheimium mutata sunt anaglyphi latera.

R. Andromeda a Perseo adiuta de rupe descendit.

Monumentum quod ex literis novimus.

'Nicias fecit et grandes picturas in quibus sunt Calypso et Io et Andromeda'. Plin. 35, 132.

Monumenta servata.

Perseus pedibus alatis, manu s. harpen et Medusae caput post tergum condens a d. accedit ad rupem, unde Andromeda pectore d. nudo descendit, eiusque lacertum s. manu d. fulcit. Infra eos Cetus in undis moritur. In picturis 2—4 praeterea adsunt binae mulieres in saxis sedentes ἀκταί secundum Helbigium[1].

Picturae Pompeianae.

1. H. 1186, ed. Mus. Borb. V 32, Gell Pomp. II 67, Rochette choix tab. 26.
2. H. 1187, ed. Mus. Borb. VI 50, Zahn III 71.
3. H. 1188, ed. Pitt. d'Erc. IV 7, Zahn I 84.
4. H. 1189 (deleta).
5. cf. Mau Roem. Mitt. V p. 233, 2 (delin. ibidem).
6. S. 518.
7. S. 519.
8. H. 1190 (deleta).
9. H. 1191 (fortasse eadem atque praecedens est).
10. Huc pertinere videtur pictura H 1185 (deleta), quam descripsit Schulze A. d. I. 1838 p. 183:

'Andromeda manibus passis ad rupem adfixa est, ad quam accedit Perseus harpen manu tenens post monstrum interfectum'.

Anaglypha.

11. Mus. Capitolini, ed. centies, optime Schreiber hell. Reliefbilder XII. Andromeda hic plene vestita a latere conspicitur; Perseus manum s. post tergum ita abdit ut quid ea portarit non videamus.
12. Anaglyphi supra (K 31) descripti pars dextra.
13. Fragmentum instituti archaeologici Romani, Matz-Duhn n. 2894.

---

[1] cf. A. Z. 1863 p. 117. Rhein. Mus. 24 p. 497 s.

14. Lucerna fictilis musei Ravesteiniani, cf. Mus. Rav. I p. 289 n. 347.

15. An. mus. Neapol. ed. Mus. Borb. VI 40.

Videtur esse an. 11 a tergo conspectum; Perseus a s. accedit ita ut spectantibus tergum advertat; Gorgonis caput in manu eius conspicitur.

16. Anaglyphi vitrei fragmentum mus. Lupor. ed. Raoul-Rochette choix p. 315, 1.

Persei figura priori similis; Andromedae nihil nisi brachium d. servatum est.

17. An. in Algeria inventum ed. Expéd. scientif. de l'Algérie tab. 64. Clarac mus. sculpt. II 161 c, 203 A.

Perseus ambabus manibus adiuvat Andromedam, quae in saxo sedens arrigere se conatur. Infra sedem Gorgoneum magnum et gladius iacent. D. Cetus capite innixus stat.

Statuae.

18. Ed. C. F. Hermann Perseus und Andromeda, Goettingen 1851.

19. Similis compositionis pars fuisse videtur caput muliebre musei Trevirensis, a Loeschckio agnitum, oculis clausis, manu s. portatum[1].

Gemmae.

20. Iaspis ruber mus. Berol. IV 223 T.

20a. Lapis quem Nicolo dicunt mus. Brit. cf. Cat. of Gems in the Brit. Mus. 1262.

Perseus Medusae caput et harpen post tergum tenens ad Andromedam accedit quae vestita ei adversa est.

21. Carneolus mus. Petropolitani cf. Fedde de Perseo et Andr. p. 71, 2.

22. Iaspis ruber, cf. Visconti expos. de gem. ant., opere varie II p. 250, Fedde p. 71, 3.

---

[1] De reliquis statuis quarum mentio fit apud Beckium, Grundriss d. Archaeologie p. 217: Andromeda comitis Firmiani, altera Mutinensi, tertia anglica in domo quae vocatur Wiltonhouse asservata, nihil potui investigari; certe neque alterius apud Duestchkium neque tertiae apud Michaelem mentio fit.

Nummi.

23. Coropissi. Exemplaria asservantur in museis Berolinensi, Vindobonensi, Monacensi, Parisino. Ed. Sestini lettres num. IX tab. IV 15 (ex. Parisinum) Zeitschr. f. Num. XIII p. 73 (ex. Berol.) Abh. d. baier. Akad. 1888 tab. XI 12 (ex. Monac.) Ἐφημ. ἀρχ. 1889 tab. II 28.

Adscriptum est Κοροπισσέων τῆς Κήτων μητροπόλεως.

24. Deulti Thraciae oppidi, ed. Dumersan médailles de Ms. Allier de Hauteroche tab. III 10.

25. Caesareae Ponticae musei Cousineriani cf. Mionnet II 354, 129.

26. Nummus Alexandrinus ed. Rochette choix p. 315, 2.

S. Perseus et Andromeda Medusae caput aqua reflexum contemplantur.

In omnibus his monumentis nemo adest praeter Perseum et Andromedam, qui Gorgonei imaginem fonte reflexam admirantur.

Quamquam figurarum motus multis modis variantur, tamen omnia monumenta ad unum exemplar redire apparet.

Picturae Pompeianae.

1. H. 1192.

2. H. 1193, ed. Mus. Borb. IX 39. Minervini mem. della acad. Ercol. IX p. 229 = mem. acad. ante p. 65.

3. H. 1194, ed. Mus. Borb. XII 49. Minervini l. c. Niccolini l'arte in Pomp. tab. IX.

4. H. 1195.

5. H. 1196, ed. Mus. Borb. XII 50. Minervini l. c. Niccolini l. c. Zahn III 24.

6. H. 1197, ed. Pitt. d'Erc. III 12. Guattani mem. enciclop. V. Mus. Borb. XII 52. Minervini l. c. Niccolini l. c.

7. H. 1198.

8. H. 1199.

9. H. 1200. ed. Mus. Borb. XII 51. Minervini l. c. Niccolini l. c.

10. H. 1201.

11. H. 1202.

Opus vermiculatum.

12. Mus. Tarraconensis cf. Huebner Ant. Bildw. v. Madrid n. 683, ed. Albiñana Tarragona monumental tab. 15.

Lucernae.

13. Ed. Millingen anc. uned. mon. II 18, 1.
Fontis loco hic est lucernae foramen

14. cf. Catal. Camp. op. in plast. s. X n. 241.

Gemmae.

15. Sardonyx mus. Petropol. cf. Fedde l. c. p. 73, 4.

16. Sarda, ed. Ficoroni gemmae litteratae tab. III 5, cf. Fedde p. 74, 10.

T. Perseus et Andromeda nullo certo consilio compositi.

Vasa picta fig. rub.

1. Scyphus cf. de Witte cat. Dur. n. 244.

Perseus altera manu harpen, altera Medusae caput portans caput reflectit ad feminam manus pandentem.

2. Vasculum Mantuae repertum generis Apuli cf. Henzen B. d. I. 1848 p. 62.

Perseus Medusae caput d. portans discedit ab Andromeda (?) sedente, cui Amor coronam imponit.

V. Perseus cum Andromedae procis pugnat.

1. *Cistae praenestinae* supra (Q 10) descriptae pars altera.

Miles diademate orientali insignis hasta pugnat contra equitem, cuius equus ad genua priora procubuit. Post militem Victoria sedet coronam tenens. Perseum pictum esse propter alterius partis picturam verisimile est.

2. *Anaglyphum urnae etruscae* mus. Volaterr. n. 329, ed. Inghirami mon. etr. I 54, Koerte tab. 40, 4.

Perseus s. clipeum et Medusae caput, d. harpen gerens ad d. currit; sequuntur duo milites gladiis strictis. Inter priorem et Perseum mulier alata d. manum militis clipeo, s. Persei umero imponit.

3. *Pictura Pompeiana* H. 1203.

In regione aperta Perseus cum procis pugnat.

II.

1. *De Persei armatura.*

Apud Hesiodum[1] Perseus armatus est crepidis alatis (πτερόεντα πέδιλα) gladio (μελάνδετον ἄορ) cibisi (κίβισις ἀργυρέη) Plutonis galea (Ἄιδος κυνέη), apud Pherecydem[2] crepidas cibisin galeam accipit a Nymphis. Illustrantur quodam modo illa scriptorum testimonia vasculi chalcidensis E 1 pictura, in qua tres Nymphae Perseo offerunt crepidas alatas petasum cibisin; gladio iam cinctus est heros. Eadem arma occurrunt in reliquis artis antiquissimae monumentis. Neque vero semper artifices veteres illorum armorum vim divinam significare conati sunt. Crepidae quidem alatae sunt in vasculo chalcidensi, in reliquis autem monumentis antiquissimis eandem formam habent atque crepidae ab aliis personis portatae. Unci enim sive laciniae scorteae, quae e marginis superioris parte anteriore atque interdum e parte posteriore pendent, iniuria mihi a viris doctis appellari videntur alae, neque enim solum Persei Mercurii Iridis caligae talibus uncis ornatae sunt, sed etiam aliarum personarum, velut in monumentis nostris Gorgonum (cf. K 9, 12, 14), quae cum alis umeralibus praeditae sint, nimirum carere possunt alis pedalibus. Ne tunc quidem alas agnoscere possum, cum laciniae illae plumatae esse videntur, ut in K 1, 6, nam easdem lacinias plumatas Apollo habet A. d. J. 1856 tab. 10[3], cui nemo tribuet crepidas alatas.

Quomodo explicandae sint laciniae plumatae, docemur vasculo quodam cruris forma in museo academico Bonnensi asservato. Ibi enim anterior caligae margo superatur palmula magna. Talem autem palmulam a latere conspectam necesse est fieri uncum plumatum, qualem videmus in monumentis laudatis. Alae igitur pedales propriae fuisse videntur Chalcidensium, qui eis ornare solebant levis armaturae milites velut e. g. Paridem[4]. Confirmatur hac re id quod aliis quoque causis probatur, Scuti Herculei auctorem, qui adeo premit Persei πτερόεντα πέδιλα, ante oculos habuisse artis euboicae monumenta.

Exeunte demum nigrarum figurarum arte figuli attici

---

1 Sc. H. 220—228.

2 Schol. Ap. Rh. IV 1515.

3 Item sagittarius (Clytotoxus?) Gerhard A. V. 191.

4 Gerhard A. V. 322.

Perseo dederunt crepidas alatas (cf. K 14, N 2) eodem tempore quo Mercurium illis instruxerunt [1].

Ditis galea apud antiquissimos artifices est aut pileus aut antiquae formae petasus margine angusto circumdatus. Cum propria illius galeae vis exprimi non posset, quinti saeculi artifices in illa repetiverunt crepidarum signa: alas. Pileum quoque alatum ante Perseum Mercurius habuit [2]. Probantur igitur quasi monumentis ea quae Aeschylus narravit in Phorcidibus [3], Perseum a Mercurio accepisse et galeam et crepidas.

Nova galeae forma occurrit in nummo cyziceno antiquiore P 29; Κυνῆ thracia est acuminata, qualem e. g. Orpheus habet in notissimo anaglypho Albano, sed alis praedita. Eiusdem fere generis fuisse videtur galea quam tulit capitum marmoreorum P 5, 6 exemplar; foramen enim quod in utriusque capitis parte media est, ad excipiendum acumen illud videtur factum esse. Praeterea in capitibus illis agnoscuntur squamae quibus galeam fuisse aeneam indicatur. Ditis autem galea facta est a Cyclopibus [4].

Thraciam galeam, alterius quoque nummi cyziceni Perseus portare videtur, quamquam ibi acumen non agnoscitur. Eo accuratius ficta est lacinia e posteriore parte pendens quae apud Thraces ipsos solet esse cauda vulpis. Galeam illam thraciam a quinti saeculi Atheniensibus saepe portatam esse testantur e. g. equites in Parthenonis cella sculpti [5].

Pro acumine illo postea inductum est aquilae caput, quippe quod melius quadraret ad alas. Praeter hanc formam inde a quarto saeculo vulgo adhibetur pileus phrygius alatus Perseo ut Persarum atavo obtrusus. Alas ex ipso capite enatas in Perseo antiquo non inveni; qua re nolim capitulum quoddam cyrenaicum cum editoribus vv. dd. Smithio et Porchero [6] pro Perseo habere.

Tertium donum Nympharum cibisis est, quae et ipsa

---

[1] Cf. Tychii vasculum Vorlegebl. 1889 tab. VI 1.

[2] Cf. Gerhard A. V. 110, 1; Heydemann, Griech. Vasenb. III 2.

[3] Hyg. poet. astr. II 12; Erat. Catast. 22.

[4] Apollod. I 2, 1, 3.

[5] Cf. Michaelis, Parthenon, tab. 9, 8. 15. 19; 10, 3. 4. 36. Furtwaengler, Berl. Winckelm. Progr. 1890 p. 160.

[6] Smith and Porcher, history of the recent discoveries at Cyrene, tab. 75.

varias formas accepit ab artificibus. Antiquissima forma videtur esse magna illa pera, quam Hesiodus describit[1] quamque reperimus in vasculis antiquissimis K 1, 4—6; prae ceteris accurata picta est in K 6. Paulo inferior videtur esse fiscus rotundus aut manu portatus ut in K 8, 9 aut e baculo pendens ut in sarcophago cyprio K 28. Tale instrumentum esse antiquissimum docemur testa Mycenaea edita a Furtwaenglero et Loeschckio[2], in qua pictus est homo ad dextram gradiens, qui baculo ad umerum acclinato portat rem quandam rotundam. In explicanda testa editores iam ad sarcophagum nostrum relegaverunt.

Hae duae formae quamvis variatae per totam antiquitatem manserunt, nisi quod sculptores temporis inferioris saepe omnino omiserunt cibisin ut sibi molestam et Gorgoneum ipsa Persei manu portatum finxerunt.

Pro cibisi habere non possum rem quadratam ab adulescentulo in patera rhodia musei Berolinensis[3] portatam. Adulescentem illum propter id instrumentum et propter uncos caligarum Perseum appellaverunt viri docti. Uncos autem neque alas neque Persei proprios esse demonstrare supra conatus sum; atque fiscella illa quadrata quam plurimum distat a reliquis cibisis formis neque ullo modo apta est ad excipiendum caput humanum. Tale instrumentum invenitur inter suppellectilem muliebrem et in manu Cephali pueri ab Aurora agitati[4]. Praeterea a Perseo alienus est canis, qui inter adulescentis nostri pedes et ipse ad dextram currit. Quibus de causis e catalogo meo exclusi Perseum illum qui videbatur esse antiquissimus.

Telum quo Perseus utitur ad Medusam debellandam in monumentis archaicis in hac quoque re congruentibus cum Scuto Hesiodeo (μελάνδετον ἄορ v. 221) g l a d i u s est. Pro gladio saeculo quinto inductus est culter curvatus falci similis sive falx ipsa, quibus formis artifices exprimere voluerunt ἅρπην, quam secundum Pherecydem Perseus a Vulcano accepit. Apud Hesiodum Saturnus h a r p e utitur ad resecandum Urani membrum. In monumentis nostris semel occurrit falx serrata (K 17)[5], qua

[1] Cf. Sittl, A. J. II p. 185.
[2] Mykenische Vasen tab. 41, n. 425.
[3] N. 3917, ed. Salzmann la nécropole de Camire tab. 55, 2.
[4] Gerhard Etr. Sp. 179.
[5] Cf. instrumentum, quo Iolaus in vase nigris figuris ornato (M. d.

instrumenti forma artifex videtur exprimere voluisse καρχαρόδους epitheton ab Hesiodo [1] harpae additum. Postremo coniuncti sunt gladius et falx, unde orta est quae proprie a recentioribus vocatur harpe. Formam illam ex oriente receperunt artifices, ubi elephantorum rectores simili instrumento et olim utebantur [2] et hodie utuntur. In monumentis nostris primum occurrit talis harpes exemplum in amphora attica I 4 circa annum 400 orta.

Adversus Cetum Perseus in vase corinthiaco Q 1 pugnat lapidibus coniectis, quam fabulae formam a scriptoribus non traditam antiquissimam esse apparet. Illam autem pugnandi rationem recentiores facile poterant ita immutare, ut pro lapidibus inducerent Medusae caput, cui inerat in lapidem vertendi vis. Ac revera in anaglyphis etruscis Q 23—26 videmus Perseum Cetum Gorgoneo torpefacientem. Interruptus est autem ille rerum progressus alio momento. Displicuit nimirum saeculis a. Chr. n. quinto et quarto heros nullo ipsius periculo pugnans, qua re illius aetatis artifices Perseum aut hasta (Q 2, 10) aut eadem illa qua Medusam debellabat harpe (Q 3, 4) armaverunt. Quos ut id facerent impulsos esse a poetis tragicis infra demonstrandum erit.

Infimi commiscuerunt utramque pugnandi rationem velut pictores tabulae a Luciano descriptae Q a et parietis Pompeianae Q 11, hi quoque poetarum vestigia prementes [3].

2. *De Medusae formis.*

Non minus quam Perseus Medusae et sororum figurae varias per saecula passae sunt mutationes. De Gorgonibus ab artificibus antiquis fictis cum copiosissime egerit Furtwaengler vir doctissimus in Roscheri lexico mythologo, satis habeo de nostrorum monumentorum Gorgonibus pauca addidisse.

Gorgonibus longa tunica vestitis, quas arti ionicae vindicavit Furtwaengler l. c. p. 1710, recensitis ibidem adiciendae

---

I. III 46, Rossbach Griechische Antiken des archäol. Museums in Breslau p. 5) Hydrae capita resecat.

[1] Theog. 175, 180.

[2] Cf. Ael. hist. an. 13, 22.

[3] Cf. Ov. Metam. IV 663—740.

sunt Medusa tripodis aenei I 2 operis aut graeci aut ad optimum exemplar graecum facti[1] et Medusa scarabaei etrusci I 15.

Caput Medusae in vasculis figuris nigris ornatis in vasculo figuris rubris ornato K 15 in metopa Selinuntia I 1 formam praebet antiquissimam (I Furtwaengleri), in reliquis vasculis figuris rubris ornatis artis severae et in tripode I 2 formam mediam (II F.), in recentioribus monumentis plerisque formam pulchram (III F.), cuius antiquissima exempla sunt vasorum picturae N 4—6. Sed inter formas mediam et pulchram inserenda est nova, quam appellabo barbaram sive satyricam. Nam cum in H 1 Medusa dormiens praebeat faciem generis medii (angues desunt, oculi clausi sunt), in pyxide H 2 non ita multo post orta facies ad Aethiopum exemplum ficta est. Casu non accidit ut Medusa dormiens prima immutaretur; somnus ipse mitigat terrorem antiquum Gorgonis, Medusa dormiens humanior ac iam paene idonea est quae misericordiam nostram moveat. Aliam terroris leniendi rationem adhibuit Tuscus, qui in patera Q 9 Perseum pinxit portantem caput satyricum auribus ferinis praeditum. Cum hic ioci causa antiquum Gorgoneum in Satyri caput mutavisse videatur, figulus atticus haud ignoravit virorum doctorum V saeculi sententias, qui in Libya Medusam collocaverunt[2], unde orta est illa fabulae explicatio multo post ab Euhemeristis prolata, Medusam fuisse reginam Libyae[3]. In eadem pyxide alio quoque modo significatur regio ubi facinus committitur: arbore sub qua Medusa dormit. Eadem arbor occurrit in K 22 (ibi fructibus onusta) et in Daldianorum nummo H 6 et videtur non sine causa scaenae nostrae illata esse; Gorgones enim habitant secundum Hesiodum (Th. 274, 75)

. . . . . πέρην κλυτοῦ Ὠκεανοῖο
ἐσχατιῇ πρὸς νυκτός, ἵν' Ἑσπερίδες λιγύφωνοι.

Est igitur arbor Hesperidum, quibuscum Gorgones etiam cognatae sunt; Hesperides et ipsae Phorcyis et Cetus filiae

---

[1] In altera tripodis parte Peleus fictus est luctatus cum Thetide, quae eodem modo atque in vasis pictis (Overbeck Sagenkreis tab. VII 3, 5, 6; Heydemann Griech. Vasenb. VI 1—3) in varias bestiarum formas mutatur. Notandum est in arca quoque Cypseli Perseum fugientem compositum esse cum Peleo et Thetide cf. Paus. V 18, 5.

[2] Cf. Herod. II 91 οἴσοντα ἐκ Λιβύης τὴν Γοργοῦς κεφαλήν.

[3] Palaeph. 32; Diod. III 55, 3.

appellantur [1], una ex iis Medusa vocatur [2], Hesperidum draco Phorcyis et Cetus filius atque Gorgonum frater iam apud Hesiodum est [3].

Medusa aethiopica quamquam scriptoribus semper nota fuit, apud artifices mox in oblivionem venit. Qui sequuntur vasorum pictores Perseum faciunt pro Gorgoneo caput femininum vulgare portantem; initio saeculi quarti additis capillis anguiformibus et anguium nodo infra mentem conserto orta est notissima temporis inferioris Gorgonei forma.

3. *De monumentorum temporibus et auctoribus.*

Fabulae primae pictae sunt eae quae singulis vel binis figuris saepius repetitis exprimi poterant; velut peditum series Centaurorum seriei opposita fiebat Lapitharum cum Centauris pugna, sagittarius cum compluribus Centauris pugnans Hercules appellari poterat [4].

In antiquissima artificum graecorum figurarum copia reperiuntur monstra alata currentia et homines nudi altero brachio protento altero retento currentes. Talis homo nudus quem sequuntur duo monstra fit Perseus a Gorgonibus agitatus; alter homo additus Mercurii partes suscipit. Hanc antiquissimam fabulae ab artificibus tractatae formam servavit tripus etruscus K 31.

Mox cum ars archaica didicisset singulas personas distinguere et significare, Perseus cibisi gladio petaso sive pileo ornatus est, Mercurius, si aderat, caduceo. Perseus solus cum duabus Gorgonibus fictus erat in Scuto Hesiodeo [5] et in Cypseli arca; in monumentis servatis accedere solent Medusa Mercurius Minerva. Di aut stant (K 3, 7, 9, 12) aut currunt (K 4); alterum Minervae alterum Mercurii proprium esse videtur, nam in K 1, ubi Minerva stans picta est, Mercurium cucurrisse crure servato probari videtur. Medusa plerumque sororibus similis est, nisi quod caput deest; mature autem didicerunt eam a latere conspectam alis complicatis procumbentem pingere (K 2).

---

[1] Schol. Ap. Rhod. IV 1399.

[2] Mythogr. Vat. III f. 13; Fulgent. p. 156.

[3] Theog. 334.

[4] Cf. Loeschcke A. Z. 1882 pp. 44, 48 ss.

[5] De ratione inter Scutum et vasa antiquissima intercedente Sittl egit A. J. II p. 185.

Pro capite reciso artifices ionici et qui eos secuti sunt interdum Medusae dederunt caput equinum (K 4, 5), quo significaretur Pegasus natus. Tale monumentum ante oculos habuisse videtur Hes. Theog. vv. 280 s.

τῆς δ' ὅτε δὴ Περσεὺς κεφαλὴν ἀπεδειροτόμησε
ἔκθορε Χρυσάωρ τε μέγας καὶ Πήγασος ἵππος.

Nam aliam quoque fabulae formam exstitisse, qua Pegasus non e collo Medusae prodierit, sed alio quodam modo ortus sit, probatur metopa Selinuntia I 1, ubi Pegasus iam adest priusquam Medusae caput recisum est [1]. Atque a Ionibus inventam esse Medusam capite equino praeditam apparet vel ex vase K 4, quod licet Athenis factum sit, ut Furtwaengler contendit, certe resipit artem ionicam [2], vel inde quod postea apud solos Iones et qui illos imitati sunt Etruscos inveniuntur Pegasus et Chrysaor e Medusae collo una prodeuntes (K 28, 24) et Chrysaor solus (K 30).

Medusam cuius e collo caput equinum emergit, ad exemplar deorum orientalium capitibus ferinis praeditorum fictam esse apparet; ostendit autem Milchhoefer [3] capita equina daemonibus addita apud solos Graecos inveniri. Idem vir doctissimus coniecit l. c. p. 62 pictores cum Medusae darent caput equinum, restituisse quasi primitivam illius formam; Medusam enim non minus quam aliam Neptuni amicam, Cererem Phigalensem, quae vocatur μέλαινα [4], antiquitus habuisse caput equinum.

Eadem fere aetate atque Perseus a Gorgonibus agitatus Medusa a Perseo occisa est, quae compositio, cum illa magis ad zophori formam quadraret, ad metopam explendam

---

[1] cf. infra p. 49.

[2] Opus vasi K 4 simillimum imitatus est qui K 5 pinxit. Persei figura est eadem atque in K 4, nisi quod deest gladius et minus accurate pictae sunt cibisis et pellis. Animadvertimus aliquod aequandi et contrahendi studium ex inferiore pictoris arte natum. Mercurius plane assimilatus est Perseo; Gorgones eodem modo brachia movent ac Perseus et Mercurius; pro quaternis alis instructae sunt binis eisque aduncis, quae tamen ex alis aduncis atque reduncis concrevisse videntur. In pingenda Medusa pictor compilavit Medusam currentem capite equino praeditam vasis K 4 cum Medusa procumbente cuius e collo sanguis profluit vasis K 2.

[3] Anfänge der Kunst in Griechenland p. 55.

[4] Paus. VIII 42, 3.

aptior visa est. Ac metopae formam servaverunt pleraque huius scaenae monumenta; antiquissima est metopa templi Selinuntii C, quod haud ita multo post Selinuntem conditam (a. a. C. n. 628) aedificatum esse censet Benndorf[1]. Iam hic eaedem atque in plerisque etiam serioris aetatis monumentis tres adsunt personae: Perseus Medusa Minerva. Quartus in metopa accedit Pegasus alatus, quem Medusa brachiis amplexa tenet. Hunc ego neque ex prolepsi additum ab artifice, ut vulgo credunt[2], neque e sanguinis stillis ortum, sed re vera partum esse a Medusa crediderim. Artifex Selinuntius, ut supra iam dixi, aliam traditionem secutus est atque Hesiodus eique artifices qui Pegasum e Medusae collo prodeuntem fecerunt.

Perseus in hac scaena solet imberbis esse. Minerva quae adest in I 1 et 6 post Perseum stat velata nullo attributo insignita, qua re eam Minervam appellare olim dubitavit Benndorf l. c. p. 44. Quae doctissimi viri dubitatio solvitur inscriptionibus vasorum E 1 K 1, in quibus et ipsis Minerva attributis caret, atque eo quod in K 6 mulier illa velata Persei manum dirigit, quae antiquissima forma auxilii a Minerva Perseo lati esse videtur[3].

Pro Minerva Amasis in I 3 induxit Mercurium Perseo similem ab altera Medusae parte accurrentem, quo factum est, ut utrumque picturae latus congrueret et alterum alteri responderet[4].

Inter antiquissimas porro picturas mythologas recensenda est E 1 in vasculo quod Chalcide fabricatum esse et ars et inscriptiones declarant. Videmus tres Nymphas quae Perseo a Minerva comitato offerunt crepidas alatas petasum cibisin. Quibus de rebus supra disputatum est. Eandem scaenam Gitiades caelaverat in Minervae Chalcioeci templo, nisi quod is duas tantum Nymphas galeam et crepidas portantes finxisse videtur.

Quartum mythi momentum iam ab antiquissimis artificibus tractatum esse proximo demum tempore comperimus. In

---

[1] Die Metopen von Selinunt p. 26.
[2] Cf. e. g. Six de Gorgone p. 80.
[3] Cf. Apollod. II 4, 2, 8 κατευθυνούσης τὴν χεῖρα Ἀθηνᾶς.
[4] Haec eadem compositionis forma postea repetita est, cf. infra p. 55.

amphora corinthiaca Q 1 Perseum videmus cum monstro marino, cui Andromeda devoranda exposita est, pugnantem lapidibus coniciendis; unde primitivam illius fabulae formam nos discere supra monstravi.

Perseus Polydectem puniens iam ante oculos fuisse videtur pictori vasis N 1, qui tamen male intellexit rem tractandam. Persei et Mercurii attributa inter se confusa sunt [1], etiam a Gorgonibus Perseus mutuatus est alas umerales. Apud ceteros artifices graecos Perseus tali modo alatus non invenitur; soli Etrusci alarum prodigi eum talibus alis instruxerunt in speculo K 26.

Exeunte nigrarum figurarum arte ortum est vas animadversione dignum N 2, cuius nihil nisi fragmentum servatum esse dolemus.

Sextam fabulae scaenam iam figulis nigris figuris pingentibus notam fuisse Kretschmeri sagacitas nuper nos docuit, qui in pictura vasculi a Wittio edita O 1 agnovit Perseum et Maenadas. Altera eiusdem generis pictura priori simillima reperitur in vase Wuerzburgensi O 2, tertiam Loeschcke vidit apud principem Ruspoli [2]. Videmus quam pervulgatus antiquissimis iam temporibus mythus ille fuerit quem — ut omittam unum vestigium apud Pausaniam [3] exstans — infima demum antiquitas nobis tradidit versibus Nonni Panopolitani [4].

Ineunte saeculo quinto et rubrarum figurarum arte plane commutatur fabula ab artificibus tractata. Scaenae antiquissimae arti dilectae emoriuntur; vix iam invenimus Perseum fugientem aut Gorgonem persecutam; contra emergunt novae atque in primis eae quae ad animum movendum magis idoneae videantur. Artem epicam ut ita dicam sequuntur artes lyrica et scaenica.

Hoc loco primum occurrit Danaes fabula, cuius tres scaenas tractaverunt artis severae vasorum pictores: Danaen imbrem aureum excipientem, arca includendam, ad Seriphi oram appulsam. Vasa illa pulcherrima A 1 (B 1), B 2, C 1 et arte et

---

[1] Perseus caduceum in amphora quoque etrusca K 24 gerit.

[2] Cf. infra p. 63.

[3] II 20, 4.

[4] Dionys 47, 446 ss.

tempore artissime inter se cohaerere apparet; ars autem proxime abest a magnis quos vocamus paterarum pictoribus. Recensenda sunt vasa nostra inter crateras magnis figuris ornatas, quarum nulla artificis nomine insignita est [1].

Habemus igitur totum cyclum picturarum ad Danaen pertinentium intra prima saeculi quinti decennia Athenis ortarum, quas non ita multo post secuta est cratera Cataniensis N 3 continens Polydectem coram Danae [2] a Perseo in lapidem convertendum.

Quo factum est, ut fabula antea artificibus ignota tanta subito gratia apud vasorum pictores floreret? Casu vix accidit, quod eodem tempore quo vasa nostra facta sunt, Aeschyli tragoediis fabula Danaeia Atheniensibus ante oculos posita est. Quo autem modo poetae scaenici inspiraverint vasorum pictores, nondum satis expertum est; nam figulos non potuisse scaenam tragicam delineare hodie inter viros doctos constat. De una quadam via, qua interdum fortasse explicandus sit tragoediarum et vasorum consensus, infra disputaturus sum.

Eadem aetate qua vasa artis severae picta sunt, ortus est sarcophagus cyprius K 28, quem ionici artificis opus esse et Medusae tunica longa et Pegasus Chrysaorque ex illius collo prominentes declarant. De cibisis forma singulari supra [3] egi; praeterea autem explicandus est canis, qui inter Medusam concidentem et Perseum decedentem sedet. Similiter in anaglypho Trysaeo K 29 aliquot decenniis post orto bestia quaedam cani similis post collem sedet, quem Perseus praetercurrit. Quis est

---

[1] Cf. v. Rohden apud Baumeisterum Denkm. III p. 1990. Proxime a vasis nostris abesse amphoram Croesi quae vocatur (M. d. I. I 54) perspexit Klein Euphronios p. 44.

[2] Mulierem sedentem Danaen appellare dubitaverunt viri docti, quia tunc Danae exposita esset Gorgoneo. Non puto ita intelligendum esse pictoris consilium. Is enim, cum Gorgoneum a latere conspectum pingere non posset, fecit a fronte conspectum; animo autem fingendum est illud ad dextram conversum esse. Itaque vim eius experientur et rex et qui post eum stat vir; Polydectes enim in lapidem conversus est cum suis secundum Pherecydem (schol. Ap. Rh. IV 1515); non afficitur capitis vi noxia mulier ab altera Persei parte sedens. Qua re ne opus est quidem, ut cum Iahnio putemus Gorgonei vim in pictura nostra sublatam (*suspendiert*) esse. Similiter in N 5 Dictys non expositus est capiti letifero.

[3] p. 43.

canis ille? Meminimus apud Homerum λ 634 Γοργείην κεφαλήν apud Proserpinam in inferis habitare. Etiam Vergilius Aen. VI 289 Gorgones cum aliis monstris in inferorum introitu collocat. Puto artifices ionicos illud fabulae momentum in animo habuisse atque ideo Perseum ad inferos descendentem fecisse, ubi Medusam interficeret. Tunc canis ille Cerberus est, quem Perseus praeterire debet, ut rursus ad lucem perveniat; colle autem post quem canis sedet in anaglypho Trysaeo, indicari videtur Cerberi antrum.

Tertiam V saeculi sculpturam hoc loco subiungam anaglyphum melicum K 30. Ibi Perseus equo vectus Medusam necavit, quae pugnae forma adeo aliena est ab antiquae artis Perseo, ut eam explicare non possemus, nisi adesset alterum anaglyphum, in quo Bellerophontes Chimaeram debellat, nostro plane respondens atque una inventum. Qua re ad eandem rem utrumque anaglyphum pertinuisse Brunn coniecit [1], qui imitatum esse putat artificem anaglypha a Thrasymede in solio Aesculapii Epidaurii sculpta [2]. Quae viri doctissimi coniectura refutatur inscriptione Epidauri reperta [3] qua Thrasymedem quarto demum saeculo vixisse evincitur. Rectius igitur iam antea Loeschcke [4] ex eodem traditionis fonte utrumque artificem hausisse docuit.

Ut vasorum pingendorum ars processit atque e severa facta est pulchra, magis magisque pictores vestigia veterum artificum reliquerunt atque nova et difficiliora ad pingendum sibi quaesierunt.

In Medusae caede pingenda non iam id temporis momentum eligitur, quo Perseus Medusae caput resecat, sed momentum antecedens: Perseus Medusae dormienti obrepit (H 1—3). Tali modo scaena illa antiquo terrore orbatur, spectantium animi magis attenduntur. Quantum ad mitigandum Gorgonei vultum scaena ita immutata valuerit supra monstravi.

Etiam nova et inaudita pingere audent figuli: Graeae vix cogitatione exprimendae pinguntur (E 1); ante spectantium oculos

---

[1] Abh. d. Münch. Ak. 1872 p. 535.

[2] cf. Paus. II 27. Idem Brunnii disputatione non cognita coniecit Six, de Gorgone p. 55.

[3] Cf. Foucart Bull. de corr. hell. XIV p. 592; Gurlitt Arch. ep. Mitt. a. Oe. XIV p. 129.

[4] De basi Spartana p. 45.

Polydectes in saxum mutatur (N 4); etiam Gorgoneum fontis superficie ut speculo reflexum imitari conantur (M 1—4). Hoc tempore iterum in monumentis nostris reperimus Andromedam; quantum autem distat vasis attici pictura a veteris figuli Corinthiaci opere (Q 1)!

Vas illud quod mihi in animo est, summa intentione videtur dignum esse. Hydria est magna eiusdem generis atque ea quam ediderunt Genick et Furtwaengler, *Keramik* tab. XXX [1]; pictura autem cum iis vasorum imaginibus quibus Polygnoti artem nobis repraesentari credimus maxime congruit [2]. Nec minus digna est quae accuratius tractetur res picta. Videmus Andromedam alligandam ad palos quos Aethiopes terrae infigunt, et Perseum cum Cepheo collocutum. Unde nam talis scaena sumi poterat nisi e tragoedia? tres actores: rex Perseus Andromeda, Aethiopum chorus aequis partibus ad utrumque latus distributus, vestimenta picta, omnia impellunt nos, ut de theatro cogitemus. Sed solent negare viri docti quinto iam saeculo figulos delineavisse tragoediarum scaenas; artem illorum inferiorem fuisse, quam ut tales scaenas e memoria refingere possent. Puto tamen viam inveniri posse, qua nihilo minus tragoediae scaena in vase antiquiore picta explicetur. Reisch in libro qui inscribitur *Griechische Weihgeschenke* p. 116 ss. choregos victores statuas vel tabulas vovisse docuit; idem v. d. p. 139 longe plurima illius generis anathemata fuisse tabulas pictas coniecit. Talem πίνακα choregi victoris si imitatum esse putabimus hydriae nostrae pictorem, optime explicabitur pictura. De cuius autem poetae fabula cogitabimus? Si omittimus Phrynichum [3], duas habemus Andromedas fabulas, Sophocleam atque Euripideam. Ab Euripidis fabula scaenam nostram alienam esse docemur fragmento 114 — ineunte enim tragoedia iam affixa est saxo Andromeda —; relinquitur igitur unus Sophocles cuius fabulam in Persia agi ex vocabulo σάρητον sive σάλητον (fr. 131) iam Tuempel [4] coniecit. Nec mirandum est,

[1] Mus. Berol. n. 2388. Plane similes sunt hydriae Brunsvicenses A. Z. 1881 tab. 15, 16 editae.

[2] Cf. Robert, die Nekyia des Polygnot.

[3] De Phrynichi quae commemoratur Andromeda cf. Robert A. Z. 1878 p. 16 adn. 10.

[4] Die Aethiopenlaender des Andromedamythus Fl. Jahrb. Suppl. XVI p. 132.

quod praeter Persas videmus Aethiopes, cum idem vir doctissimus l. c. p. 184 Aethiopes persicos Graecis (fortasse per Scylacem geographum) notos fuisse monstraverit. Apud Aeschylum iam occurrunt Indi τοῖς Αἰθίοψιν ἀστυγειτονούμενοι. Nec magis mirum est, quod Aethiopibus nostris pictor dedit facies Aethiopum africanorum inde ab Amasi [1] pictoribus graecis consuetas.

Puto igitur picturam vasculi nostri esse imitationem tabulae a chorego qui Sophoclis Andromeda vicit consecratae. Quae si recte disputata sunt, fortasse non nimis audacter σάρητον illud quod μεσόλευκον χιτῶνα fuisse Hesychius testatur agnoscimus in Andromedae vasculi nostri tunica mirabili, cui mediae imposita est lacinia pellis ut videtur albae. Quod autem Perseus nec Medusae caput nec harpen gerit, sed hastis armatus est, coniciendum est eum apud Sophoclem sicut in cista Praenestina Q 10 hasta adversus monstrum marinum dimicavisse.

Exeunte saeculo V atque ineunte saeculo IV artifices id studere coeperunt, ut animos spectantium delectarent ac sensibus voluptatem praeberent. Tunc orta est D a n a e n u d a imbrem aureum excipiens cuius antiquissimum exemplum est vas multicolor A 3. Etiam M e d u s a m nudam fingere circa annum 400 ausus est auctor ignotus operis per totam antiquitatem celeberrimi, cuius exempla antiquissima quae aetatem tulerunt vascula sunt I 7, 8 initio fere saeculi quarti orta. Longo temporis intervallo ab his distant reliqua: pictura Pompeiana I 9, tabula a Luciano descripta I c, anaglypha dacica I 10—12, nummus I 13. Nihilo minus in omnibus paene eaedem sunt figurae Persei, qui capite reflexo chlamyde passa a sinistra accurrens manu sinistra Medusae caput comprehendit, dextra harpen gladiumve collo eius admovet, et Medusae, quae ad genu sinistrum procumbens usque ad pudenda nuda, nisi quod vestimenti lacinia de umero sinistro pendet, manu dextra Persei brachium dextrum amplectitur (excepto I 9). In eo differunt, quod Medusae brachium sinistrum in reliquis monumentis aut extensum aut capiti admotum est, in anaglypho I 10 autem gladii acumen comprehendit, quod exaggerantis est artificis romani. Idem dicendum est de Perseo in pictura I 9 genu sinistrum Medusae

---

[1] Cf. Memnonis satellites, Vorlegeblätter 1889 III 3.

femori infulciente, quod momentum pictor mutuatus esse videtur ab Hercule cervam domante. In I 9, 10, 13 et apud Lucianum tertia persona accedit Minerva clipeum tenens, quam compositionis integrae partem fuisse eo quoque probatur, quod in antiquissimo exemplo I 7 si partem amissam restituimus, tantum spatii relinquitur quantum Minervae figura expletur. Artifex igitur repetivit veterem compositionem metopae Selinuntiae suae aetatis ingenio adaptatam[1]. Atque clarissimi quidem artificis opus fuisse monumentorum nostrorum exemplar necesse est, quod anno circiter a. C. n. 400 ortum etiam infimae antiquitatis artificibus exemplo esset.

De aevi inferioris vasis, quae ad Andromedam a Perseo liberatam pertinent, Hermann Fedde Trendelenburg Robert accurate egerunt[2] eaque inspirata esse Andromeda fabula Euripidea probaverunt. Unum autem tenendum est, quod merito Trendelenburg pressit, summa semper libertate artifices tractasse tragoediam. Euripidi quidem deberi videtur Perseus harpe adversus Cetum pugnans vasorum Q 3, 4; quod autem in plerisque vasculis Andromeda alligata est lignis arboribusve, de suo addiderunt pictores, quibus saxum cui apud Euripidem affixa est Andromeda difficilius ad pingendum visum est. Unum monumentum plane cum tragoedia congruere videtur: anaglyphum fictile Q 18 haud ita multo post Andromedam actam Athenis ortum. Hic Perseus modo adveniens et ad virginem rupi affixam suspiciens re vera dicere videtur.

Ἔα, τίν' ὄχθον τόνδ' ὁρῶ περίρρυτον
ἀφρῷ θαλάσσης παρθένου τ' εἰκώ τινα
ἐξ αὐτομόρφων λαΐνων τειχισμάτων
σοφῆς ἄγαλμα χειρός (fr. 125 N.).

Iam quaerendum est nonne ulla alia ex multis quae Persei fabulam tractaverunt tragoediis vestigia reliquerit in Magnae Graeciae vasis.

A Benndorfio Vorlegeblätter ser. B IV 1 post Millingenum peint. ant. de vases 23 iterum edita est pictura vasis in biblio-

---

[1] Non secus ac veterem compositionem Amasis (I 2) recentiorem mutavit vasculi I 8 pictor inducto pro Minerva Mercurio, qui ab altera Medusae parte accurrit Perseum adiuturus.

[2] Cf. scripta p. 2 laudata.

theca Vaticana asservati nondum satis explicata [1]. In media pictura iuxta magnam palmam ara picta est, in qua sedet senex tunica manicata chlamyde caligis vestitus gladio cinctus cuius vaginam manu s. amplectitur; dextra chlamydis nodum tangit. Toto habitu pavorem et trepidationem profitetur. Iuxta eum sinistro arae angulo mulier se acclinat tunica pallioque quo caput quoque velatur vestita et ipsa ad s. spectans manu d. velamen illud a facie removens. A d. accedit vir barbatus tunica picta pallioque vestitus diademate radiato ornatus, qui manu s. portat sceptrum aquila coronatum; dextra cuius plaga exterior spectanti adversa est recusandi gestum facere videtur. Ab altera parte ad aram accedit iuvenis tunica picta chlamyde caligis vestitus diademate radiato coronatus manu d. duas hastas umero acclinans. Supra personas descriptas dei conspiciuntur: supra regem Insania anguibus crinita facem et anguem manibus tenens, supra senem et mulierem Venus cum Amore, supra iuvenem Suada.

Apollodorus II 4, 3, 6 narrat Perseum, cum post Andromedam liberatam Seriphum reverteretur, invenisse Danaen matrem et Dictyn ad aram confugientes, ut evitarent Polydectis violentiam; a Perseo Polydectem torpefactum matrem liberatam Dictyn regem Seriphiorum factum esse. Idem haud dubie argumentum fuit Dictyis fabulae Euripideae, quam Welcker e fragmentis ita restituit, ut Perseum incognitum ad insulam advectum a Polydecte domicilium et Danaen in matrimonium ducendam petere statueret. Quae si recte coniecit vir doctissimus, nonne optime ad tragoediam illam quadrat pictura nostra? Rex nimirum Polydectes est; senex et mulier Dictys et Danae sunt, qui ab illo vexati ad aram confugerunt; iuvenis Perseus est reliquis ignotus, qui cum Polydecte pacisci conatur priusquam vim adhibeat. Etiam di singulis personis additi optime explicantur: supra Polydectem libidine obcaecatum Insania, supra Perseum paciscentem Suada, supra Danaen Venus illius tutatrix cum Amore. Perseum in hac pictura non insigniri solitis attributis consentaneum est, quia non vult agnosci a Polydecte. Quibus

---

[1] Varias virorum doctorum interpretationes collegit Reinach vases . 104 s.

[2] Griechische Tragödie p. 668 ss.

de causis ad ipsam fabulam Euripideam revocandam censeo picturam nostram, nisi quod pictor contraxit duas scaenas; nam cum quattuor personae non una esse in scaena possint, necesse est Polydectem in alia tragoediae parte cum Dictye et Danae, in alia cum Perseo agere.

Vidimus quomodo poetae ut Aeschylus Sophocles Euripides Persei fabulam conformaverint et artificibus tractandam praebuerint; iam quaeramus, quid magni artifices ipsi ad fabulam tradendam atque exornandam valuerint.

De Thrasymede iam supra actum est; praeter illum Perseum caelaverunt Pythagoras Rheginus (K d) et Myro cuius statua in arce Athenarum collocata erat (K e). Ad Pythagorae Perseum fortasse referenda sunt capita P 5, 6, quae ad medii saeculi quinti exemplar redeunt, formam autem a capitibus Myroneis diversam praebent. Cum his cognatum esse nummum cyzicenum antiquiorem P 29 iam supra monstravi. Ad Myronem referre malim Perseum stateris Cyziceni recentioris P 30, quippe cum illius aetatis cyziceni plurimas statuas atticas in nummis suis repetiverint, velut Cecropem Triptolemum Tellurem tyrannorum interfectores. Parum autem ex illo statere cognoscitur, quomodo mota fuerit quae exemplari fuit statua, quia in nummo Perseus ad sagittarii Daricorum exemplum genua flectit, quo fit ut totus corporis habitus immutetur [1].

Pictores fabulam nostram tractasse scimus Niciam, qui pinxit Danaen (A a) et Andromedam (R), et Artemonem, qui fecit 'Danaen mirantibus eam praedonibus' (C b). Hanc Artemonis picturam suo iure agnoscere sibi visi sunt viri docti [2] in imaginibus Pompeianis C 3—8, quae Danaen exhibent ad Seriphi oram appulsam, quam circumstant piscatores. Omnia enim quae servata sunt sex exempla ad eandem originem redeunt, licet varietur figurarum numerus (in C 8 Danae sola est, in C 3 tres vel quattuor, in reliquis aut unus aut duo piscatores adsunt). Numero suo declarant picturae illae se derivatas esse

[1] Eodem modo plurimas figuras mutaverunt Cyziceni veluti Iovem Apollinem Silenum Herculem Demetra Victoriam, cf. Head hist. numm. p. 452.

[2] Cf. Helbig Untersuchungen über die campanische Wandmalerei p. 145; Overbeck Kunstmythologie des Zeus p. 412.

ab imagine clarissima. Valde dolendum est quod C 3 non melius est servata; eam enim propius quam reliquas abesse a pictura originali praeter figurarum numerum eo quoque probatur, quod Danaes vultus dolorem exprimit, et quod piscatores ibi non sunt iuvenes graciles et elegantes ut in C 4, sed homines robustiores atque rusticiores. Unde intellegimus, qui fieri potuerit, ut Plinii auctor piscatores haberet pro praedonibus; neque opus est ut in Plinii textum recipiamus Dalecampii commentum ‘piscatoribus’.

Talem compositionem qualem praebent picturae Pompeianae Brunn [1] maluit adscribere N i c i a e Atheniensi, quem amavisse hominum multorum et varie motorum tabulas e Demetrii qui vocatur loco [2] collegit. Verum ut taceam pugnarum picturas quales apud Demetrium personatum Nicias poscit etiam longe abesse a piscatoribus Danaen admirantibus, admodum dubito, num ex illo II p. Chr. n. saeculi rhetore certi quid hauriri possit ad aestimandum IV a. Chr. n. saeculi pictorem, praesertim cum ea Niciae opera quorum accuratiores adsunt descriptiones: Nemea [3] et sepulcrum prope Tritaeam a Pausania [4] visum plane repugnent verbis a Demetrio pictori datis. Quae cum ita sint, malim cum Overbeckio credere Niciam pinxisse Danaen aurum concipientem, quam quidem illius aetatis Atheniensibus dilectam fuisse et lecythus multicolor A 3 et Menandri versus a Terentio (Eun. III 5, 35) translati testantur.

Scilicet inter parietum Pompeianarum picturas eae, in quibus Danae imbrem aureum excipit, minus bene excogitatae sunt, quam quae ad clara exemplaria revocanda sint. Quod in A 5, 6 Danae stans picta est, adeo alienum est a fabula, ut figuras illas a Ledae potius imaginibus [5] inepte translatas esse Helbig perspexerit. Nec minus socordis artificis est, quod in A 6, 7 praeter aurum Iuppiter ipse adest. Sine dubio ibi commixtae sunt duae fabulae formae; veteres enim iam fabulae interpretes ut Pherecydes [6] Iovem non nisi ad penetrandum tectum aeneum

---

[1] Griech. Künstlergesch. II p. 200.
[2] Demetr. de eloc. 76.
[3] Plin. 35, 37.
[4] III 22, 6.
[5] Cf. nn. 145—151 catalogi Helbigiani.
[6] Schol. Ap. Rhod. IV 1091.

in aurum se convertisse, priusquam autem cum virgine concumberet, rursus deum factum esse contenderunt.

Eodem illo Demetrii loco nisus Brunn Andromedam Niciae agnoscendam esse coniecit in tabula a Philostrato I 29 descripta; quae tamen descriptio propter compositionem miram ac paene ineptam propugnaculum semper fuit eorum qui Philostratos non descripsisse veras imagines contra Brunnium contenderunt. Neque vero opus est ut hoc loco retractemus de Philostratorum fide quaestionem difficillimam, quoniam si omisso Demetrio ea spectamus quae de Niciae arte alibi traduntur, offertur nobis compositio quae ad illum pictorem referatur dignissima non solum picturis R 1—10, sed etiam anaglyphis 11—16 statuis 18, 19 gemmis 20—22 nummis 23—26 tradita: Perseus post monstrum interfectum Andromedam de rupe descendentem adiuvat. Cuius compositionis auctorem fuisse Niciam post Heynium [1] Hermannum Benndorfium [2] fusius probavit Helbig [3], qui Ionem quoque a Mercurio liberatam (*Wandgemaelde* n. 131 ss.) Niciae vindicavit collatis Plinii verbis (35, 132) 'Nicias . . . . . fecit et grandes picturas, in quibus sunt Calypso et Io et Andromeda'. Optime ad confirmandam viri doctissimi sententiam accidit, ut nuper invenirentur duae illae imagines Ionis et Andromedae in una pariete inter se respondentes [4].

Altera causa nondum quantum scio prolata accedere mihi videtur ad compositionem nostram Niciae vindicandam: quod anaglyphorum atque etiam statuarum artifices eam tanto studio imitati sunt [5]; consentaneum enim erat, ut Niciae qui 'lumen et umbras custodiit atque ut eminerent e tabulis picturae maxime curavit' (Plin. 35, 131) opera etiam sculptores ad imitandum invitarent.

---

[1] Comm. Gotting. X p. 3.

[2] De anthologiae graecae epigrammatis pp. 62. 71.

[3] Untersuchungen über die campanische Wandmalerei p. 140 s.

[4] Cf. Roem. Mitt. V p. 233.

[5] Recte enim iam Hermann statuit primo ortam esse picturam deinde anaglypha tunc statuas. Excipienda autem sunt anaglypha R 15, 16 et nummus R 26, in quibus Perseus, quamquam a sinistra venit, tamen ut in reliquis exemplis Andromedae offert manum dextram, ut cogatur spectantibus advertere tergum. Qua positione ab anaglyphis aliena demonstratur artifices illos iam ante oculos habuisse statuas eiusdem generis atque R 18, quas tamquam a tergo imitati sunt.

De Parrhasii Perseo Hercule Meleagro in una tabula pictis (P b) nihil certi scimus; neque mihi quidem persuasit Robert [1] tres heroas in inferis interlocutos esse. Si ita res se haberet non puto adeo pressurum fuisse Plinium 'unam tabulam'. Malim cogitare de tabula votiva, qua poeta quidam tragicus victoriam trilogia partam celebraverit.

Parrhasii fere aequalis fuit auctor Persei praesente Minerva Medusam interfecturi, qua de compositione supra (p. 54) actum est. Intra quartum saeculum orta esse videtur pictura, in qua Perseus Gorgonibus sub arbore dormientibus obrepebat, nobis vasculo italico K 23 et nummo Daldiano H 6 tradita. Aevo autem Alexandrino adscribendos censeo Perseum et Andromedam Gorgoneum fonte reflexum contemplantes (S), quod ludicrae artis inventum tam saepe repetiverunt pictores Pompeiani. Eisdem temporibus vixit, si quidem vixit, Euanthes [2], cuius tabula ab Achille Tatio descripta (Q c) plane congruit cum picturis Pompeianis Q 13—15.

4. *De monumentis etruscis.*

Etrusci Persei fabulam prae ceteris dilexisse videntur; pleraque enim fabulae momenta, quae apud artifices graecos inveniuntur, ab illis repetita sunt. Nonnulla etiam, quorum exemplaria graeca non iam adsunt, ab Etruscis solis discimus. Iam in Anubis quod vocatur vasculo (I 6), in quo elementa graeca cum orientalibus miro modo confusa sunt, occurrit Perseus Minervae auxilio Medusam interfecturus ratione plane singulari fictus. Persei a Gorgonibus agitati forma antiquissima servata est tripode K 31. In uno scarabaeo G videmus Perseum eumque inscriptione significatum, qui alatas crepidas sibi alligat; etiam scarabaeus H 5 praebet compositionem alioquin non traditam.

Speculorum nostra maxime interest D 2, quia praeter pyxidem atticam D 1 unicam continet quae servata est Graearum imaginem; eorum enim monumentorum quae Gaedechens olim collegit [3] nullum certo ad Graeas referendum esse luculente

---

[1] Bild und Lied p. 45.
[2] Cf. Brunn, Griech. Künstlergesch. II 288.
[3] De Graeis, Gottingae 1863.

demonstravit Kekulé[1]. Accedit quod iam Preller[2] una ut ita dicam qua tota nititur Gaedechensii disputatio voce Aeschylea κυκνόμορφοι nihil significari probavit nisi id quod Hesiodi verbis γραῖαι ἐκ γενέτης exprimitur.

Vas illud D 1 et speculum eo differunt, quod in illo tres adsunt Graeae ut apud Aeschylum (Prom. 821), in hoc duae ut apud Hesiodum (Th. 273) quocum nomina quoque (Enie — Ἐνυώ, Pemphetru — Πεφριδώ) congruunt. Praeterea artifex tuscus Graeas anus fecit, a quibus pingendis ars graeca quinti quidem saeculi et temporis subsecuti abhorrebat. Deest autem in speculo quam in pyxide videmus caecitatis significatio.

Alterum speculum animadversione dignum K 27 est in quo Phorcys persequitur filiae interfectorem, quam fabulam litteris non traditam hoc uno monumento discimus. Omnino non novi aliud Phorcyis simulacrum praeter Graearum pyxidem modo commemoratam. Etiam quod pisce inter Meanpes pedes natante sub mari rem geri indicatur diversum est a ceteris monumentis[3]: Perseus super mare volans caelatus fuit in Scuto Hesiodeo[4] et in Achillis clipeo Euripideo (K b).

Perseus alatus est in speculo antiquiore K 26. In I 20 Medusae dormientis quam Perseus aggreditur corpus videtur virile esse; facies deleta est. Nomen figurae illi adscriptum 'Tarsu' ad Ciliciae oppidum rettulerunt Koerte[5] et M. Mayer[6], fortasse recte, quamquam quae fabula subsit ignoramus. Perseus Tarsi conditor in nummo quoque Tarsensi[7] expressus esse videtur, ibi cum Apolline coniunctus.

In vasculis etruscis satis indiligenter tractatur fabula nostra: in K 24 Perseus caduceum gerit; atque in K 25 e Medusae collo pro capite equino prominet cervi caput, quod non diversae fabulae formae, sed pictoris socordiae tribuendum erit. In patera Q 10 quam supra memoravi (p. 46) Perseus currens caput Satyri

---

1 A. d. I. 1873 p. 127.

2 Griech. Myth.² II p. 63.

3 Tribus igitur locis facinus committitur in monumentis nostris: sub arbore Hesperidum, in inferis, sub mari.

4 Cf. Brunn, Abh. d. Münch. Ak. XI p. 20.

5 Etr. Sp. V 67.

6 Verh. d. Philol.-Vers. zu Görlitz 1889, p. 338.

7 Cf. infra p. 63.

portans compositus est cum Ceto. Tres igitur fabulas confudisse videtur artifex: Perseum fugientem, cum Ceto et cum Bacchi comitibus pugnantem.

Singulari modo tractatur Cetus a Perseo interfectus in urnis Q 23—26 in quibus solis Perseus monstrum debellat Gorgoneo. Ceterum res sculpta congruit cum fabula Euripidea.

Respicientes magnam monumentorum nostrorum copiam intellegimus, quanta semper gratia apud veteres floruerit Persei fabula, quam neglectam paene a poetis — nam praeter Euripidis Andromedam nullum fere opus poeticum quo Perseus celebraretur magnum eventum habuit — inde ab antiquissimis temporibus usque ad infima antiquitatis saecula innumerabilibus fere modis tractaverunt cuiusvis generis artifices. Eo magis notanda est monumentorum multitudo, quo pauciora vestigia in monumentis servatis reliquerunt aliae fabulae eaeque a poetis iterum atque iterum tractatae, velut e. g. Ulixis fabula.

Prope diem praeceptor mihi maxime veneratus G. Loeschcke publici iuris faciet opusculum quod inscriptum est: *Die Enthauptung der Medusa, ein Beitrag zur Geschichte der griechischen Malerei. Festschrift zu Ehren des fuenfzigjaehrigen Doctoriubilaeums von Heinrich von Brunn.* Quo libello tractavit vir doctissimus monumenta nostra I 8—13 atque conatus est reperire auctorem illius compositionis, de qua supra actum est p. 54. Tabula addita optime editum est fragmentum vasis Bonnense I 8.

Addenda.

ad p. 12. In vasculo Matritensi H 1 E. Bethe qui post Cuntzium vas inspexit atque primus ut ex arcula promeretur impetravit, repperit inscriptiones HEPMEϟ, ΓEPϟEVϟ, AIANƎΘA

ad p. 14. Vasculum etruscum I 6 nunc asservatur in museo Panormitano, cf. Martha l'art étrusque p. 474.

ad p. 15. Nummus Sebastenus Septimii Severi eodem signo ornatus atque I 13 editus est Zeitschr. f. Numism. XVII tab. II 15, cf. p. 23.

ad p. 21. In museum academicum Argentoratense nuper pervenit vasculum, quod ut in meum usum delinearetur liberaliter concessit Michaelis:
20*. Amphora parva artis pulchrae in utraque parte singulas figuras continens: A. Perseus chlamyde caligis pileo (?) vestitus capite reflexo ad d. currit, d. Medusae caput pulchrum, s. falcem portans. B. Mulier tunica longa vestita, magnis alis umeralibus praedita manibus protentis ad d. currit. Quae femina licet ad Victoriarum exemplar ficta sit, hoc loco non potest non esse Gorgo Perseum persecuta. Pictor Medusae formam pulchram ad sororem transtulit.

ad p. 27. Tertium eiusdem generis atque O 1, 2 vasculum Loeschcke vidit apud principem Ruspoli cf. A. J. VII, Anz. p. 74.

ad p. 28. Infra P 1 inserendum est:
1*. Lamina rotunda duplex in Cabirio Thebano inventa eiusdem generis atque ea quae edita est 'Εφ. ἀρχ. 1885 tab V 1; cf. Athen. Mitt. XIII p. 413.

In utraque lamina media circulus niger continet figuram rubram satis indiligenter pictam: A. Perseus currit cum harpe, B. Medusa tunica brevi vestita ad rupem acclinata dormit.

ad p. 32. Nummis Iconicis subiungendus est:
32*. Nummus Tarsensis cf. Imhoof-Blumer Zeitschr. f. Numism. III p. 333.

Perseus harpen s. tenens dextram offert Apollini.

ib. 37*. nummis Ponticis addendi sunt: a, b, Nummi Mithridatis Eupatoris et Mithr. Philadelphi cf. Z. f. N. IV p. 232, XV p. 205.

Perseus chlamyde et pileo phrygio vestitus alis pedalibus instructus dextra portat Medusae caput antiquius, s. harpen umero acclinat.

ad p. 33. Nummis Macedonicis subiungatur:
39*. Nummus Larissaeus Thessaliae cf. Z. f. N. p. 75.

Caput femininum)(Perseus ad s. conversus d. extenta harpen, s. demissa Medusae caput portat.

Vita.

Natus sum Friedericus Henricus Carolus Knatz a. d. III Kal. Mai. anni h. s. LXVIII in oppido Orb Hasso-Nassoviae provinciae patre Ludovico qui nunc Cassellae est a consiliis regiis iuridicis, matre Ella de gente Bode. Fidei addictus sum evangelicae. Anno post parentes mei in vicum Kaufungen prope Cassellam, anno LXXV Cassellam transmigraverunt, ubi litterarum elementis imbutus per novem annos discipulus fui Lycei Friedericiani iam tum Gideonis Vogt auspiciis florentis. Vere anni LXXXVI maturitatis testimonio instructus Lipsiam me contuli studiis philologis et archaeologis operam daturus. Inde anno post Friburgam Brisgoviae et post alterum annum Bonnam migravi, ubi per septies sex menses civis fui almae matris Fridericiae Guilelmiae Rhenanae.

Docuerunt me viri clarissimi Gardthausen Hanssen Hermann Maurenbrecher Overbeck Ribbeck E. Rohde Voigt † Lipsienses, Hense Herzog Holtzmann B. Schmidt Thurneysen Friburgenses, Bender Buecheler R. Kekulé Loeschcke Luebbert † Martius Neuhaeuser Nissen Thode Usener Wilmanns Bonnenses. In seminarium regium philologorum Bonnensium insigni Buecheleri et Useneri liberalitate receptus per ter sex menses fui sodalis ordinarius; ad seminarii historici exercitationes benevole me admisit Nissen. Exercitationibus ut interessem benigne concesserunt archaeologis Herzog Kekulé Loeschcke, epigraphicis Buecheler, philosophicis Martius. Quibus viris omnibus gratiam habeo maximam, in primis autem Buechelero Loeschckio Usenero quid debeam nunquam obliviscar.

Sententiae controversae.

I. Empedoclis v. 55 ed. Stein. lege:
ἀλλὰ κακοῖς μὲν κάρτα μέλει κρατέουσιν ἀπιστεῖν
μέλει Clementis Al. qui servavit versum libri.

II. Plat. Men. p. 37 D ἀλλ' ἄρα καὶ παιδὸς ἡ αὐτὴ ἀρετή, ὦ Μένων, καὶ δούλου ἄρχειν οἷόν τε εἶναι τοῦ δεσπότου, καὶ δοκεῖ σοι ἔτι ἂν δοῦλος εἶναι ὁ ἄρχων:
delenda sunt verba τοῦ δεσπότου.

III. a. Aen. Tact. XXII 13 lego:
Οἱ δέ τινες τοῦτό (sc. τὸ λίθους βάλλειν καὶ ἐρωτᾶν) φασι βλαβερὰν εἶναι· τοὺς γὰρ προσιόντας τῶν πολεμίων ἐν τῷ σκότει προαισθάνεσθαι οὗ προσιτητέον (προσπηγαιον M, corr. Haupt) ἐστίν.
οὐ M, ὅτι οὐ Haupt.

b. ib. XXXII 1
ἅμα (ἄλλα M, corr. Meineke) δὲ καὶ ὑποθυμιᾶν καπνὸν πολὺν ὑφάπτειν ὡς μέγιστον πῦρ ποιοῦντα
alterum verbum abundare cum perspexisset Hugius expunxit ὑποθομιᾶν καπνὸν πολὺν: delenda sunt potius καπνὸν πολὺν ὑφάπτειν.

IV. a. Plaut. Pers. 759
Statuite hic lectulos, ponite hic quae adsplent,
scribendum est: Sternite.

b. ib. 773
Bene míhi bene vóbis béne meae amícae! Optátus
hic mihi dies datus hodie est ab dis
deleo 'ab dis' verba.

V. Calpurnii vv. I 13—15 quomodo explicandi sint docemur carmine Priapeo XIV.

VI. a. στυλοπινάκια (Anth. Pal. III) videntur esse columnarum caelatarum anaglypha.

b. Templum Apollonidis Cyzicenum fuit περίπτερος IV × VII columnarum versus meridiem directus. Columne XIX videtur postea addita esse; certe non peripteri partem efficiebat.